

Rsp P
XVII-277/2

LIBELLVS SVPPLEX
INNOCENTIO
DECIMO, PONT. MAX.
Cum Decretis summ. Pontt. & sacros.
Conciliij Tridentini.

N E C N O N
DISPVATATIO ILLVSTRISS.
AMBROSII CATHARINI POLITI, Ar-
chiepiscopi Compsani, ex Ordine FF.
Prædicatorum assumpti :

A D D I T I S
SACRAE SCRIPTVRÆ, ET SS.
Patrum Testimoniis,

P R O I M M A C V L A T A B. V I R G I N I S
M A R I A E Conceptione.


Contra Opusculum F. PETRI DE VINCEN-
TIA, &c. seu potius M. VINCENTII
BANDELLI, à CLXVI. annis ab
Ecclesia damnatum.

Per I O A N N E M A S. M. Doctorem
Theologum, Gallum, in vnum
corpus congregata.



T O L O S Æ;
Apud BERTRANDVM ALAVX, Typogra-
phum, ad portam Arietis, prope Col-
legium sanctæ Catharinæ.

M. D C. XLIX.



ALIA BEATISSIMA AVIA X. TADDEI
PATER DE SANTO VINCENZO CEP
DE JUVENTUTE CEPENDIT

M DCC. XIX.



INNOCENTIO
X. PONTIFICI MAXIMO,
summo Christi Vicario, &
totius Ecclesiæ Catholicæ
Capiti, & Pastori vigilan-
tissimo,

LIBELLVS SVPPLEX ET
perhumilis, pro Deiparæ Mariæ
semper Virginis immacu-
lata Conceptione.

SOLEM nedum paten-
tes latè campos, & excel-
sa montium cacumina
collustrare, sed & ipsa etiam despi-
catissima humilium conuallium gra-
mina, indiscreta radiorum emissio-
ne fœcundare, non est qui eat infi-
cias. Suprema Sanctitas vestra, Pater
Beatissime, totius Ecclesiæ clarissi-
mum Iubar, dum sapientissimo mo-



deramine ad negotia quæq; magni
momēti auspicatō pertractāda toto
orbe, efficacem operā confert ; nulli
tamen quātumuis exiguo supplican-
ti, suam dēdignatur impertiri tute-
lam , & oportunum patrocinium.
Quod cūm stet omnium fide & ex-
perientia comprobatum , ego ,
quamuis fidelium minimus Vestræ
Sāctitatis pedibus Orator, & adora-
tor aduolutus , illius vindicem ma-
num imploro aduersūs eos , qui in
magnum Sedis Apostolicæ contem-
ptum , & omnium fermè Christiano-
rum scandalum , eò audaciæ &
temeritatis proruperunt , vt libros
olim summorum Pontificum , &
Conciliarum decretis proscriptos ,
& tenebris obliuionis iamdiu ob-
uolutos , in lucem reuocare non
dubitent. Altūm quiescebat Gallia
& in pia, quam de immaculata Dei-
paræ Virginis Mariæ Conceptione

à maioribus ante quingentos annos
accepit opinione, ineluctabilis per-
seuerabat; eidem quotidiè in suæ
fidei monumentum altaria excitan-
do, fana exstruendo, Capellanias
fundando, & festum Conceptionis
operum seruiliū omnimoda cef-
satione, non secus ac è solenniori-
bus quodlibet, religiosissimè cele-
brando. Hæc dum indefessa solici-
tudine deuotionis officia prosequi-
tur, erupit in vrbe Tolosa mon-
strum, Tolosa, inquam, satis supérque
celebri magnificentissimis Templis,
Monasteriis, Collegiis, Xenodo-
chiis, sanctorumque Apostolorum,
Martyrum, Pontificum, Confesso-
rum, Virginum, Monachorumque
reliquiis innumeris: clarissimo eru-
ditissimóque tam secularium, quam
regularium Clero: augustissimo Se-
natū, Academia celeberrima, Pro-
fessoribus omni commendatione

maioribus refertissima: Ciuib[us] tandem in fide Orthodoxa altè adeò radicatis, vt miris licet s[ecundu]m modis ab Ecclesiæ hostibus exagitati, nusquam ab ea ne latum quidem vnguem defecerint: nec passi sint vnum vel Calvinistam, vel Protestantem, vel etiam Iudæum, aut Sarracenum intrà sua pomœria consistere. In hac inquam Ciuitate tam religiosa, tamque nouorum dogmatum inimica,exeunte mense Julio nuper præterito, Opusculum nocturna lucubratione fabricatum, tacitis loci, Typographi, & Autoris nominibus, de repente prodiit, neque sinè publica offensione væniit, sub titulo *F. Petri de Vincentia, &c.* (iustiori sanè si Vincentium Bandellum nominasset, à quo primū emanauerat) *de veritate Conceptionis, &c.* verius dixisset, de falsitate, vituperio, & opprobrio Deiparæ Virginis,

quam licet totam pulchram & formosam, maculosam constituit, Dei parentem, Diaboli sobolem prædicare non pudet; liberam, magistram, Dæmonum victricem, & quæ Serpentis caput Spiritu sancto testante contriuit, dæmonis prædam & spolium facit; Benedictam per omnes generationes, ut reliquos Adæ posteros maledictam; sceleris purissimam, peccato operis, nedum originis temeratam: Matrem denique gratiæ, ipsi Autori gratiæ exofam, ingratamque proclamat, supra quam credi possit impudentissimè.

Cum igitur monstruosus ille liber intolerabile Verbo Incarnato, & Mariæ dedecus, & probrum inurat, & fideles omnes qui illam originali labe immunem agnoscunt & inuocant, offendat grauissimè: quod nuello isti Autori propositum sit illos quasi tuba præconis apud om-

nes ut impios, hæreticos, & Idololatras diffamare, in quos non argumentis & rationibus sed igne pugnandum sit; Vestræ Sanctitati, Beatisse Pater, humillimè supplico, ut perniciosus ille liber iampridem ab Ecclesia damnatus flammis addicatur, vti iam alias Commissariorum Apostolicorum sententia à Iulio II. felicis recordationis prædecessore vestro confirmata, pluribus in locis Hispaniæ sœ uitum est in hunc, & alterum eiusdem Bandelli fœtum: atque ut nouissimæ istius editionis Autor condigna poena coerceatur, iuxta piaculi grauitatem, summorūmque Pontificum & Conciliorum Constitutiones: quod eò libentiūs Sanctitatem vestram decreturam confido, quòd liquidò constet, præfatum Autorem maximam Sedi Apostolicæ iniuriam irrogasse. Enimverò si perpetuam Deiparæ

Virginis Conceptionis integrat-
tem profitentes desipiamus , vt ipse
asserit , cùm prædecessorum vestro-
rum , vestræque Beatitudinis horta-
tu, & Indulgenciarum concessione ,
ad tam deuotum , iustumque obse-
quium inuitemur , euidentissimè con-
stat damnari vos ab isto Autore
impietatis , hæreſeos , idololatriæ ;
agendumque in vos non argumen-
tis & rationibus , sed igne animad-
uertendum , multò æquiùs quàm in
nos , qui vestrīs dumtaxat placitis &
Constitutionibus adhæremus .

Præterea , quandoquidem nouel-
lus hic Autor forsan libellum euul-
gauit obtentu facultatis , quam A-
postolica Sedes quibusdam fecit de
opinione affirmante inter priuata
dumtaxat colloquia conferendi , ne-
que tamen intrà huiusc facultatis &
modestiæ cancellos fese contineat ,
sed sæpenumerò agat cum extra-

neis, de suæ opinionis veritate, eam
obfirmato adeò animo sustinendo,
vt plurium Theologiæ auditorum
testimonio , (idque ex Bandelli
principiis) non puduerit profiteri,
Summus licet Pontifex negantem vt
fidei articulum ex Cathedra propo-
neret, non assensurum se, nisi de spe-
ciali Spiritus sancti reuelatione con-
stitisset; quod est Nouatorum huius-
ce temporis commentum & dog-
ma , qui Scripturæ sacræ perperam
intellectæ autoritate freti , Ponti-
ficum , Oecumenicorumque Con-
ciliarum placita, perficta fronte re-
jiciunt. Cùm ergo, Beatissime Pater,
iste Autor hac de affirmante inter se
colloquendi facultate abusus sit , &
alij deinceps eius exemplo idipsum
ausuri sint , cum bona vestræ Sancti-
tatis venia , dicam interesse Reipu-
blicæ Christianæ quàm maximè , vt
recenti rescripto , dictam licentiam

reuoget , omnémque imposterum etiam priuatam de dicta affirmante sententia collocutionem illis inhibeat : sic futurus est labij vnius sub vestro regimine totius Ecclesiæ Principatus.

Nisi vestra Sanctitas præstabilius duceret hanc litem dirimere , de plenitudine Apostolicæ potestatis, definiendo sententiam negantem, ut fidei Orthodoxæ articulum ab omnibus de cætero profitendam, quod iamdiu impenso studio postulat , præstolatürque vniuersus Christianus orbis. Sanè cùm id per se ipsam vestra Sanctitas possit, quidni tanto negotio vltimam imponat manum? Posse autem, alius à Protestantente, aut Caluinista nemo negaverit ; *Qui enim* , inquit Nicolaus primus , Cap. Omnes. Distinctione XXII. à Romana Ecclesia priuilegium ab ipso omnium Ecclesiarum Capite traditum

auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur, & est dicendus hereticus, &c. Priuilegium autem Romani Pontificis est, doctore D. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 10. condere fidei articulos, symbolumque edere veritatis infaillibilis, iuxta illud Christi Saluatoris D. Petro, edictū: *Ego pro te rogaui, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirmas fratres tuos.* Quam orationem ad reliquos D. Petri successores extēdi docuerunt summi Pōtifices, Lucius, Epistola ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ, Felix, Epist. ad Benignū; Gregorius lib. 6. Epist. 39. ad Eulogium, Agatho Epist. ad Imperatores, quæ lecta est in 6. Synodo, actio 4. & actio. 8. ab omnibus approbata; Nicolaus primus Epist. ad Michaëlem Imperatorē, Leo IX. Epist. ad Petrum Antiochenum; Innocentius 3. in cap. Maiores, de Baptismo: qui-

bus subscrubunt SS. Patres, Cyprianus Epist. 55. & lib. de vnitate Ecclesiæ, Athanasius Epist. ad Felicem, Hieronymus Epist. 57. & 58. ad Damasum, Augustinus in Psalmo contra partem Donati, Celestinus Epist. ad Episcopos Galliæ, Prosper in Chronico ad annum 420. Denique Petrus Rauennæ Episcopus, Chrysologus cognominatus, Epist. ad Eutichetem, quæ ponitur secundo loco ante Chalcedonense Concilium: *In omnibus, inquit, hortamur te Frater honorabilis, ut iis quæ à Beatisimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam B. Petrus, qui in propria sede & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Quemadmodum de facto, prout diuersis temporibus vrgebat necessitas, emergentes in Ecclesia difficultatum nodos soluerunt, & plura statuerunt Summi Pontifices, de fide tenenda contra diuersos, quorum

anteà libera erat sententia. Sic Vi-
ctor primus , in Quartadecima-
nos , siue Paschatistas , celebra-
dam esse Resurrectionem Iesu Chri-
sti non decima quarta luna , instar
Iudæorum , sed proximo die Domi-
nico sequenti , quod posteà Nicæna
Synodus etiam confirmauit. Zephy-
rinus aduersùs Cataphrygas , seu
Pseudoparacletos , non per ipsos
plenitudinem Spiritus sancti gratiæ ,
sed per Apostolos Christi imperti-
tam fuisse. Cornelius contra Noua-
tianum , Antipapam primum , lapsos
ad penitentiam recipiendos. Ste-
phanus primus , in Africanos , non
rebaptizandos ab hæreticis bapti-
zatos. Innocentius primus in Pela-
gium & socios ; necessariam omni-
no ad rectè operandum gratiam
Redemptoris Christi. Siricius in
Iouinianum , virginitatem coniu-
gio præferendam , Deique Matrem

post Christi partum nunquam viris
commixtam. Ioannes XXII. anteà
Iacobus Deijssa, Cadurcensis in Fra-
tricellos, & alios, Christum & disci-
pulos ius habuisse in quædam bo-
na temporalia; & in Ioannem de
Poliaco , de licentia Papæ , cui-
cumque Sacerdoti confessionem fa-
ctam validam esse , etiam reclaman-
tibus Curatis. Denique alij summi
Pontifices , vt Pelagius 2. in Ioan-
nem Patriarcham Constantinopoli-
tanum , Leo X. in Lutherum , Pius
V. & Gregorius XIII. in Michaëlem
Baium. Sixtus IV. in Petrum Oxo-
mensem , Clemens V III. in alios
varias propositiones vt erroneas,
hæreticas, detestabiles blasphemias
damnarunt ; & meritò , frustraneè
aliàs suo Vicario Christus claves re-
gni cœlorum tradidisset , perperam
ligandi atque soluendi , referandi
obserandique contulisset potesta-

tem, quidquid ipse decerneret pro
rato habiturus. Hinc nemo verè
Catholicus Vestræ Sanctitati , ius
istud in dubium reuocauerit, præsen-
tem veritatem per se definiendi.
Quid igitur vetat quin perficiat?
Quin in gratiam partis negantis,
affirmantem proscribat, quæ tot
vbique terrarum, quoties è suggestu
ventilata est, scandala suscitauit? Fa-
uent Scripturæ sacræ testimonia. In-
sinuant non segniter Liturgiæ sancti
Iacobi minoris, Diui Marci Euan-
gelistæ, Æthiopum, nec non Con-
cilia, Ephesinum primum, siue III.
Generale, Toletanum XI. Constan-
tinop. V. Francofordiense sub A-
driano I. Nicænum II. & alia, dum
Dei genitricem passim appellant im-
maculatam, irreprehensibilem, im-
pollutam, intemeratam, illibatam,
thesaurum impollutum: quibus ad-
iungi potest quod de Concilio

Apostolorum

Apostolorum tradit liber sancti
Cecilij Martyris, & Episcopi Elibe-
ritani, nuper in antro quodam Mon-
tis sancti iuxta Granatam ciuitatem
miraculosè repertus ; ibi enim hæc
verba ex Arabico translata legun-
tur : *Illa Virgo Maria, illa sancta, illa*
Virgo electa, à primo originarioque pec-
cato præseruata fuit, & ab omni culpa li-
bera, atque hæc veritas Apostolorum con-
silium est, quam qui negaverit maledictus &
excommunicatus erit, & salutem non con-
sequetur, sed in æternum damnabitur. San-
cti Patres & Ecclesiæ Doctores,
negantem frequenter aut probant,
aut supponunt. Reuelationibus au-
thenticis multifariam roboratur ;
Miraculis stabilitur quampluribus.
Hanc Reuerendissimi Praesules suis
in diœcesibus profitentur & colunt ;
in illam vnanimi consensione iurant
Imperatores , Reges , Principes,
magnates , Supremæ Curiæ, Magi-
stratus : hanc pro aris & focis tuen-
ε

tur, votis solennibus Vniuersitates
Orthodoxæ, & ad gradus, Cathe-
drásque promouendos in negan-
tem iurare compellunt: hanc quot-
quot extant in tota Ecclesia Reli-
giosi Ordines (nonnullis ex vno
exceptis) celebrant & venerantur
tanto affectu, vt pro illius defen-
sione vitam profundere non dubi-
tarent. Et quod maius est, ipsa Sedes
Apostolica semper pro negante ste-
tit, & à fidelibus vbiique gentium,
teneri lætata est, dum initio in An-
glia, Gallia, Hispania, & multo anteà
in Græcia, etiam non expectato Ro-
manæ Sedis placito, Festum imma-
culatæ Conceptionis Deiparæ Vir-
ginis celebrari non improbavit; &
postmodùm edicto sanxit, Offi-
cium illius sub speciali ritu appro-
bando, Indulgentiásque largiendo
iis qui Officiis, Concionibúsque in
præfato festo, & per octauas habēdis

interfuissent. Vnde & ipse met Summus Pontifex purpurato Illustriss. Cardd. Senatu adstante, quotannis solenni sacro de festo immaculatae Conceptionis in propria Capella 8. Decembris celebrari solito adesse consueuit. Cauendo etiam sub grauiissimis poenis, ne haereseos, aut culpae mortalis damnarentur qui prefatam opinionem negantem, aut docerent, aut docentes audirent: iisdem poenis subijciendo legentes & penes se habentes libros, qui huiusmodi iniuriosas, insolentesque assertiones continerent. Silentium praeterea imponendo affirmantis assertoribus, subque earumdem poenarum interminatione prohibedo, ne deinceps in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis, immo neque in priuatis colloquiis, & scriptis afferere ausu temerario præ-

sumerent, B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam: & insuper inhibendo omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quām cuiusvis Ordinis & instituti Regularibus, ut in sacro sancto Missæ sacrificio ac diuino Officio celebrandis tam publicè, quām priuatim, non alio quām Conceptionis nomine vti debeant.

Vetando etiam ne alio Catechismo ad institutionem parvulorum vtantur illi incumbentes, quām edito per Illustriss. Cardinalem Bellatuminum Doctrinæ Christianæ compendio, in quo conceptis verbis docetur, Beatam Virginem absque peccato Originali fuisse conceptam. Confirmando tandem Religiones & Confraternitates sub titulo Conceptionis intemeratae erectas, templorum frontispiciis eundem Conceptionis immaculatae titulu appo-

nendo, qualis Romæ legitur in mon-
te Tusculano his verbis : VIRGINI
MARIÆ SINE ORIGINALI PECCATÓ
CONCEPTÆ, SACRVM. Medallia in-
cidi curādo cūB. Virginis imagine, &
isto elogio: *Tota formosa est* : vel isto,
Concepta sine labe originali: & ijs qui me-
dalliis talibus vterentur spiritualia
Indulgentiarum lucra concedendo:
omnia tandem in gratiam negantis
opinionis perficiendo, & nihil pror-
sus in affirmantis fauorem. Nec
enim legitur vnquam Summum
Pontificem aliqua gratia prosecu-
tum quempiam eo nomine, quòd
conceptam cum originali labe Dei-
param sentiret , aut profiteretur,
quin potius gratiosis adeò Constitu-
tionibus fideles ad oppositum
pelleixerunt Pontifices, vt vltra de-
siderandum videatur nihil, quam vt
toto orbe credatur Beatissimam
Virginem nullum vnquam pertulif-

se gratiæ diuinæ sanctificantis dis-
pendium. Negari demum non po-
test , quin ad istam definitionem
Concilium Tridentinum proximè
accedat , dum Mariam ab illa gene-
rali D. Pauli damnatione vendicat ;
*Sicut per unum hominem peccatum intra-
uit in mundum & per peccatum mors , ita
in omnes mors pertransiit in quo omnes pec-
cauerunt , Rom. 5. & Sixti IV. decre-
tum innouat his verbis: Declarat san-
cta synodus non esse sue intentionis ubi
agitur de peccato originali , comprehendere
Beatam & immaculatam Virginem Dei
genitricem Mariam : sed obseruandas esse
Constitutiones felicis recordationis Sixti
Papæ IV. sub poenis in iis Constitutioni-
bus contentis , quas innouat. Quod si
Synodus Oecumenica adeò cele-
bris illam à cæterorum Adæ filio-
rum lege meritò exceptit , priuati
Doctores illam eidem legi subdere,
& criminis originalis ream efficere ,
audebunt? Denique in hanc senten-*

tiam conuenit vniuersus populus Christianus, Vestræ Sanctitati subditus, in hanc Clerici, Laïci, Diuites, Egeni, Nobiles, ignobiles, agmina-
tim concurrunt, dum ubique terra-
rum iamdiu Conceptionem Mariæ
inuiolatam venerantur, quod argu-
mento est diuino animari spiritu, &
hanc esse sanam, & solam men-
tem cui insistendum sit, iuxta magni
Augustini doctrinam, contra Epi-
stolam, siue fundamentum Mani-
chæi, cap. 4. afferentis, se nullo alio
ad Ecclesiæ fidem efficaciùs pertra-
hi, quam populorum consensione,
&c. *Tenet consensio populorum, inquit, at-
que gentium, tenet autoritas miraculis in-
choata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate
firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli
usque ad præsentē Episcopatū, successio Sa-
cerdotū, tenet postremò ipsum Catholicæ no-
mē, quod nō sine causa inter tā multas hærci-
ses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cū omnes
hæretici se Catholicos dici velint, quærenti*

tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam
conueniatur, nullus haeticorum vel Ba-
silicam juam, vel domum audeat ostendere.
Ista ergo tot & tanta Christiani nominis
charissima vincula recte hominem tenent
credentem in Catholica Ecclesia, etiam si pro-
pter nostrae intelligentiae tarditatem, vel vi-
tae meritum, veritas nondum se apertissime
ostendat. Apud vos autem ubi nihil est
quod me inuitet ac teneat, sola personat ve-
ritatis pollicitatio, &c. Iam vero assi-
gnent aduersarij vel vnicum tem-
plum, altare, Capellam, sodalitium,
Religionem, Scriptorem à ducentis
saltem annis, extra suam scholam
vel vnicum, Bullam vnam indul-
gentias largientem, miraculum vnu
in confirmationem factum affir-
mantis B. Virginem in originali pec-
cato fuisse conceptam; quæ cùm
nullibi ostendere possint; & negan-
tis assertores omnium populorum
consensu in pro se habeant, & fidem
miraculis quampluribus confirma-

tam (non qualia apud Bernam ciuitatem Heluetiorum, ut narrat Surius, Commentario rerum in orbe gentium, ad annum 1509. in suæ opinionis vindicias ex aduersariis quidam aliquando efficere machinati sunt) sed indubia, & Ordinariorum calculo comprobata: Altaria, fana, Xenodochia, Cœnobia, Confraternitates, Indulgencias à Sede Apostolica emanatas, ut debitæ Deo gratiæ rependantur, quod sanctissimam parentem à generali peccati colluvie liberauerit, in qua reliqui homines naufragium subierunt: atque adeò certo certius manet stare veritatem pro opinione negante, nec falsitati patere.

Quod enucleatius confirmatur argumento adducto (licet in re differenti) à D. Chrysostomo, Homilia in Saluatoris die nataleni, ut persuaderet in vigesimum quintum

Decembris incidisse. Cùm enim Ecclesia Græca in dubio huc usque fuisset circa præfatum diem, nec de illo planè concors esset Constantinopolitanorum opinio , solenni concione habita , sic illos affatus est : *Habeo tres ad probationem evidentes rationes, per quas intelligemus hoc ipsum esse tempus quo Dominus noster Iesus Christus ac Dei Verbum in lucem est editus, quarum hæc prima est. Quòd tanta celeritate, qua quaversus hoc festum denunciatum sit, & ad tantum fistigium excreuerit, adeoque inclauerit, ut quod Gamaliel de Euangelijs prædicatione dixit, Actorum 5. Quoniam si est ex hominibus dissoluetur, si verò ex Deo est, non potestis dissoluere illud, ne forte & Deo repugnare inueniamini: hoc & ego fidenter de hoc die pronunciauerim.* Hanc rationem ad propositum negotium flectendo: attendatur amabò & ad Sanctuarij trutinam expendatur , qua deuotione , pompa, & studio Conceptionis Deiparæ festum celebratum sit , quām prom-

ptè per vniuersa regna hæc deuo-
tio, pérque vniuersos Ordines diua-
gata & propagata: pensentur priui-
legia & indulta à Sede Apostolica in
gratiam opinionis negantis emanata;
luce clariùs videbit, qui non in
media luce libens & volens cœcu-
tiat, opus esse omnipotentis Dei:
Quod, vt Chrysostomi verbis vtar,
quia ex Deo est, idcirco non solum non est
dissolutum, quin potius per annos singulos
maiis incrementum sumpsit. Quod vt ad-
huc magis pateat, deinceps veritatem
immaculatæ Conceptionis, quam
profitemur, non fuisse à viris erudi-
tione conspicuis, sed à rudibus, &
illiteratis euulgatam, ad lucrum
dumtaxat, & auditorum beneuolen-
tiā, aurāmque popularem captan-
dam, vt nonnulli aduersæ opinionis
Autores falsò aliàs per pulpita de-
clamarunt: hinc certè fortius &
inuictius eruitur argumentum à Do-

mino factum esse , vt doctrina ista
reluctantibus quamvis validissimis
aduersariis , ita percrebuerit , &
præualuerit , vt passim ab omnibus,
paucissimis demptis , retineatur,
quamplurimis etiam ab ea nunquam
deficiendi , voto peculiari se adstrin-
gentibus . Quod ipsum pro natali
Christi Domini in 25. Decembris
concludebat etiam Chrysostomus ,
his verbis : *Quamquam tentiorum con-
ficiendorum opifices , pescatores litterarum
rudes & imperiti homines essent , qui illam
quoquo versus proferrent : neque quidquam
ministrorum vilitas nocuit , quin potentia
eius qui prædicabatur omnia anticiparet ,
impedimenta submoueret , ac propinquam vim
suam exerceret.*

Quæ cùm ita sint nullisque de-
veritate doctrinæ , quam vniuersus
Ecclesiasticorum & laicorum con-
sensus corroborat , maneat dubitan-
di locus , quidni talem Vesta Sancti-
tas declarabit ? Quid impedit , quo-

minus tam iustum, tamque Deiparæ
Virgini debitum, tam Charissimæ
soboli Christo gloriosum, tam cœ-
lestibus, & terræ incolis cunctis
iucundum obsequium impendat?
Fuit quidem olim ratio, cur Eccle-
sia supersederet, putà ut infirmio-
ribus quibusdam filiis, qui totis vi-
ribus in contrarium conabantur, ac-
clinaret; quatenus pendente lité il-
lorum argumenta, fundamentaque
discuteret, & cuius firmitatis essent
& roboris exploraret: atenim dis-
ceptata, & explorata modò sunt
hæc omnia: Regula siquidem gene-
ralis Scripturæ sacræ, quæ omnes
Adæ posteros peccato originis ad-
iudicat, Mariæ admittit exceptio-
nem, ex iam allato Tridentino. Præ-
terea grandis illa machina, qua tan-
quam suo Achille nitebantur ad-
uersarii, & ex qua in nos innumera
Patrum & Ecclesiæ Doctorum testi-

monia velut totidem bellica tor-
menta contorquebant, corruit om-
nino & confracta est, tum explora-
tione fraudis cum qua adducta sunt;
tum expositione, qua probatum re-
linquitur aliter Christum dici immu-
nem à peccato, videlicet ex vi suæ
generationis; aliter Mariam, ex pri-
uilegio nempe & gratia copiosissi-
ma Redemptoris. Tandem quia-
vno, vel altero exceptis, nullus pe-
culiariter de B. Virgine locutus est,
sed in vniuersum pronunciarunt;
Omnes homines labem initialem
contraxisse, quod vel re ipsa & de
effectu venit intelligendum, vel de
contrahendi debito & obligatione,
nisi gratia speciali præseruentur. Po-
stremò rationes aduersariorum se-
ipsas destruunt, & à leuioris pa-
lestræ Theologis nullo negotio
reuincuntur. Quæ ommnia non latere
aduersarios ut potè doctissimos, pro-

certo teneo ; ideoque tantum retineri ne piissimæ sententiæ adhæreat, quia inconstantiae argui timentes, retractare displaceat, quod tanto calore & æstu à suis prædecessoribus assertum , propugnatumque nouerūt. Quod certè generosè contemnerent , & procul reijcerent, si duo præsertim ante oculos sibi proponerent : Primum, nihil commodi, imò incommodi plurimum ex peruicaci affirmatiæ suæ opinionis professione illis accidere. Constat namque experientia, inquit Vincentius Iustinianus Dominicanus, in additionibus ad vitam Ludoici Beltrami, *Eius sententiæ fautores omnibus exosos esse, à cunctis inseclari iniuriis.* Qui enim in defendenda ~~et~~ maculata Conceptione se occupant, nihil in hac re consequuntur, & uniuerso molesti sunt mundo : frustra autem niti , & laborando nihil aliud nisi odium querere, extremæ dementiae est. Alterum quod plurimum

iuuaret ad arma tandem deponenda
est ; si de se æquè humiliter vellent
sentire , ac magnus & humillimus
Augustinus de se, in prologo Re-
tractationum suorum Operum
profitetur: Neque enim quisquam , inquit
nisi imprudens ; ideo quia mea errata repre-
hendo , me reprehendere audet. Sed si di-
cit non ea debuisse à me dici , quæ postea
etiam mihi displicerent , verum dicit , Et
mecum facit , eorum quippe reprehensor est ,
quorum & ego. Neque verò ea reprehende-
re deberem si dicere debuisset , sed qui pri-
mas non potuit habere sapientiæ , secundas
habeat partes modestiæ , ut qui non valuit
omnia impenitenda dicere , saltem peni-
teat quæ cogitauerit dicenda non fuisse. Sed
ut volet quisque accipiat hoc quod facio , me
tamen Apostolicam illam sententiam in hac
re oportuit intueri , ubi ait ; Si nos ipsos
iudicaremus , à Domino non iudicaremur .
Cùm ergo omnem doctrinæ suæ su-
pellestilem , exposuerint , explicaue-
rintque aduersarij nec innos nouum
aliquid telum vibrare valeant ,
etiam

etiamsi in consummationem seculorum vitam & studia protraherent. Supereft vt Vestra Sanctitas, hanc sententiam dicat, & sibi, Virginis Deiparæ gloriæ dum vindex existit, eiusdem gratiam & patroncium, piaque fidelium obsequia æternum demereatur.

Agedum igitur, Innocenti ter Maxime, recogita hanc determinationem à te expectare, nedum solum, sed cœlum, ipsumque tremendum adorandæ Trinitatis Conclave. Patrem æternum filiæ splendori, Verbum & filium parentis commendationi, Spiritum sanctum sponsæ gaudio, omnes Angelorum choros supremæ Principis maiestati. Reputa, Summe Pacis arbiter, Cœlum in hoc æuum huius controversiæ iudicium distulisse, vt ab Innocentio assereatur pro omnibus temporum

differentiis , innocens illa quæ
Cherubinos ipsos & Seraphinos in-
nocentia superexcellit. In Gen-
tilitiis tuis stemmatibus Columbam
felle carentem dum conspicimus, in
spem adducimur fore, vt pronun-
cias Mariam nunquam fuisse pecca-
ti amaritudine infectam. Oleæ ra-
mum, quæ pacis est tessera, dum
ore præferentem demiramur, tibi
negotium demandatum putamus,
proferendi inter Genitricem illius,
qui est pax nostra, qui fecit etraque unum,
& eundem filium, nullum vñquam
bellum aut dissidium intercessisse;
vt sic inter filios tuos inconcussa im-
posterum pax stabiliatur, quæ sæpe
numero iirgiis ex hac quæstione
emergentibus dilaceratur & rumpi-
tur. Ecquis seit, nūm ex istius sen-
tentia definitione vndeat, Pater
Beatissime, pax Italiæ, Germaniæ,
Galliarum, Hispaniarum, totius Europæ,

quæ iamdiu tum extraneis, tum ci-
uilibus, tum domesticis bellis misé-
rè laniantur? Hoc etiam speramus
ex Liliis, quæ stemmata tua splen-
dore pariter & odore perfundunt.
Spei symbolum est Lilium: sic in
Antonini Pij numismate Deam dex-
terâ spargentem lilia videre erat,
cū hac inscriptione, SPES PVBLICA:
& in Tiberiano eandem Deam cum
hoc lemmate, SPES AVGVSTA. Sic
Psalmo. 44. qui de bonis ex Messiæ
aduentu sperandis edifferit titulus
præfigitur, *Pro iis qui commutabuntur,* &
ex versione Aquilæ, Pro liliis; quasi pro-
mittat homines per Messiam à mor-
talibus in immortales commutan-
dos. Cùm igitur nobilissima Pam-
philiorum prosapia tribus gaudeat
Liliis, quidni fidelibus populis au-
spicatò portendant, ex illa tandem
nasciturum qui illorum optatis &
piis postulationibus in re grauissi-

ma, qualem tractamus, faciat satis.
Verum quidem est fructum sperari
ex quolibet flore; at ex Lilio gratio-
ri & peculiari, modo. Auulfum
siquidem ex caule gemmulam ex-
porrigit, folia explicat, ut naribus
odorem, oculisque inclusum intus
aurum effundat. Age ergo, Vica-
rie Christi dignissime, Christiani
Ouilis Pastor vigilantissime, Petri
successor, & Apostolici culminis
possessor absolutissime, paterna è
domo auulse; age, inquam, Lilij
istius gemmulam exporrigito, &
illud os, quod diuina fundit oracula
reserato, totumque Ecclesiæ corpus
odore suauissimo perfundito, quem
læto hauriet pectore, dum Vesta
Sanctitas ex Cathedra pronuncia-
bit, vt fidei theorema indubita-
tum, Beatissimam Virginem Dei
genitricem Mariam (quam præ om-
nibus medullitus veneratur & dili-

git) nunquam peccato Originali
fuisse sauciata , semper Dei amicam ,
inter filias sicut lilyum inter spinas ~~se~~ ,
exitisse. Igitur

----- *Manibus dato Lilia plenis.*

Hoc votis continuis enixè exposcit
sancta & vniuersalis Ecclesia. Cui ad
tantum bonum impetrandum , ego
licet omnium minimus alumnus me
adiungo supplicem , vestramque be-
nedictionem imploro humillimè ,
& vt Opusculum hoc in honorem
B. Virginis editum , paternis ocu-
lis in tueri dignetur enixissimè ro-
go , dum toto præcordiorum co-
natu Deum Opt. Max. deprecabor ,
Vestram Sanctitatem Nestoreos in
annos saluam & incolumē tueatur ,

IOANNES A. S. M. Doctor
Theologus Gallus.



LECTORI BENEVOLO.

VIDI S T I , humanissime Lector , vel dubio procul audisti Opusculum quoddam Fratris Petri de Vincentia , &c. in Tolosana Ciuitate furtim typis excusum , cui titulus ; Opusculum de veritate Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ , nuperrime palam per compita exhiberi & venditari . Quamvis autem nouissimæ huius editionis Autorem , & Typographum , ut illegitimi foetus parentes , propria propalare nomina puduerit ; constat tamen cuiusdam Doctoris Theologi ibidem commorantis operâ in lucem editum . Quo verò consilio prænominatum Petrum de Vincentia , luce donare , vel si manuis pridem mortuum ad lucem reuocare , postrema ista editione tentauerit , huc usque incertum . Quicquid sit inauditum hactenus om-

nibus Scriptoribus Petri de Vincentia no-
men; unde diu in ea fui opinione, non ve-
rum sed ementitum nobis. Autorem fuisse in-
sinuatum; immo nuspian inter viuos extitit
se F. Petrum de Vincentia: sed potius
Vincentium quemdam Bandellum de Ca-
stronovo, cuius satis frequens mentio apud
Caietanum, Medinam, Egidium Lusita-
num, Ferdinandum Salazar, Iudicum
Clicthoueum: ad cuius nomen Castri iste
alludens, tractatu de Immaculata Concep-
tione B. Virginis, & Epistola ad Lecto-
rem, haec dicit: Sane exstructum est paulò
ante nostra tempora, nescio an super firmam
Petram, aut potius super arenam, Castrum
nouum in nostræ sacratissimæ Matris op-
probrium: unde venenata cuspede, morti-
fera vibrantur tela in immaculatam Virgi-
nem & Conceptionis puritatem; instructaque
acie impetratur candidissimus illius splen-
dor. Verum non vincet ipse (quamuis à
vincendo nomen sortiatur) inexpugnabi-
lem Turrem Davidicam, ex qua mille pen-
dent ad veritatis protectionem clypei.
Accienda quidem sunt iacula, paranda rationum machine, aptandaque tormenta bel-
lica, ad Castri illius noui demolitionem.
Quia ergo sape immense sanctorum: Pa-

trum, & Doctorum multitudinis, quorum
autoritate se tuebatur Bandellus, contra
immaculatæ Conceptionis B. Virginis ve-
ritatem, Scriptores meminerunt; idcirco
præfatum Opusculum huius dumtaxat Ban-
delli legitimum esse foetum suspicabar, cu-
ius suspicionis indicia tibi subjicere virgin-
tissima paraueram, quibus in re admodum
dubia (cum nulla istorum Autorum opera
licet diligenter conquisita istis in partibus
reperire potuisset) ad huiusmodi iudicium
ferendum mouebar.

Verum peculiare nonnihil de proposito
argumento meditanti, adeoque percurrenti,
& legenti Narrationem legationis Regum
Catholicorum Hispaniæ Philippi III. &
IV. ad Summos Pontifices Paulum V.
& Gregorium XV. per Illustrissimum
præsulem Antonium de Trejo, pro defi-
nienda immaculatæ Conceptionis contro-
uersia, occurrit præfatum Petrum de Vin-
centia, concinnasse quidem, & in lucem
edidisse, De veritate Conceptionis tra-
ctatum: ceterum post Vincentium Ban-
dellum, cuius librum, quoad seriem & nu-
merum Autorum in compendium redege-
rat. Quod, ut verum fatear, hoc ex capite
dolui, quod labori frustraneo parcere potuif-

sem, quem in ostendenda, quæ est recentis de Vincentia Opusculi, ad librum Bandelli conuenientia, insumpseram, si prius Autor ille mihi arcanum istud aperuisset. Aliunde tamen gauisus sum veritatis scopum attigisse me, cum primùm iudicaui dictum Opusculum vel à Bandello prodijisse, vel certe ab ipso Bandello mutuatum ab Autore istius nouissimæ editionis, quæ Julio mense præterito Toloçæ vulgata est sub Petri de Vincentia nomine.

Præfatus ergo liber legationis Hispaniæ Regum ad summos Pontifices, (huius enim testimonio eò libentius utar, quod veritati consentaneum maxime putem cùm minime sit verisimile hunc Episcopum, tantorum Regum specialem Oratorem in re tanti momenti Ecclesiæ principibus, toti Curiæ Romanae, & uniuerso Orbi, contradicentibus præsertim aduersariis admodum oculatis, imponere voluisse) sect. 2. orat. 4. & 5. de dicto Vincentio Bandello dioecesis Terdonensis, &c. refert duos ipsum libros in lucem edidisse; primum anno Domini 1475. inscriptum eodem titulo qui supra, De veritate Conceptionis B. Virginis Mariæ, complectentem ducentorum sexaginta sanctorum Patrum &

*Doctorum dicta, quem dedicauit Comiti
Petro de Bengara Ciui Brixieni; quem
Frater iste Petrus de Vincentia compen-
diose collectum typis mandari curauit. Al-
terum verò sub titulo, Tractatus de sin-
gulari puritate & prærogatiua Salua-
toris nostri Iesu Christi, ad Herculem
Estensem Ferrarie Ducem inscriptum, &
euulgatum anno 1481.*

*Deinde exponit idem Episcopus Anto-
nius Orator Summo Pontifici Paulo V. &
adducit per plures paginas, ex præfatis
duobus libris Bandelli, varias assertiones,
quibus centies mordicus contendebat, opi-
nionem Virginis Mariæ Conceptionem à
culpa initiali vindicantem, esse insanam,
falsitatum semen, copiosam ignorantiam,
pietatem falsam, superstitionem, temerariam,
erroneam, perniciosa, horrendam Christia-
næ fidei peruersitatem, humanum commen-
tum, deliramentum, diabolicum dogma,
sanguini Christi iniuriosam, & nefandissi-
me detrahentem eius dignitati, contradicen-
tem fidei antiquæ omnium Catholicorum,
corruptuam fidei, hæreticam, defenden-
tem hæresem Celestini, Pelagi, & Iu-
liani, facientem Virginis Matrem in con-
cipiendo Virginem, imò & Mariam cop-*

ceptam de Spiritu sancto: Personas autem quibus factae sunt reuelationes pro illa immunitate B. Virginis à peccato originali, esse suspectas, vitiis carnalibus deditas, nihil in se spiritualitatis ostendentes. Miracula item quæ fiunt & prædicantur in favorem Conceptionis immaculatæ à damone, Deo permittente patrari, ut errorem nutriat in Ecclesia. Denique illicitum esse ad Conciones accedere in quibus negatur peccatum originale respectu B. Virginis, & mortaliiter peccare omnes illas audientes, ut potest fauentes mendacibus & falsarijs Concionatoribus, propter fauorem & terrenum lucrum, nouos errores & falsa miracula confingentibus, nec non annunciantibus, quæ omnino aduersantur Scripturae sacræ, Spiritui sancto, Conciliis, dictisque ducentorum sexaginta Patrum & Doctorum, qui (inquietabat Bandellus) in iis quæ pertinent ad fidem & bonos mores, summorum Pontificum constitutis, & Conciliorum præferendi sunt. Hæc & plura alia quæ absque horrore, nec legi, nec audiri possunt, profitebatur Bandellus in duobus memoratis libris, quæque vulgata tantum ubique scandalum pepererunt, ut Sixtus IV. Summus Pontifex ad euellendas iuriorum & dis-

sensionum radices , ex quibus inter fideles tam infesta germina pullulabant , anathema in eos dixerit , qui præfatos libros , siue tractatus legerent ; & apud se pro legitimis retinerent , eosque præsumerent declarare peccati mortalis labe pollutos , qui immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem profiterentur ; ut videre licet in Extravaganti , Graue nimis , statim subiicienda , quam edidit anno 1483. Ex quibus ita manifestum fit illius Opusculi , de veritate Conceptionis nuper excusi legitimum & primarium Compilatorem fuisse Vincentium Bandellum , ut iam nullus ambigendi locus hac de re relinquatur . Si quis tamen ampliorum & euidentiorem huius veritatis notitiam exposcat ; eam procul dubio facillime sibi comparabit , si loca sanctorum Patrum , & aliorum , prout in libello nuper euulgato iacent , cum iis que ex Bandello à Scriptoribus grauissimis referuntur , licet inverso ordine , conferre placuerit .

Siquidem sequentes contra immaculatam Conceptionem Petri de Vincentia Opusculum recenset : imprimis sub hoc titulo , Incipiunt Autoritates sanctorum Doctorum , nominat Dominum Petrum Lombardum Sententiarum magistrum (Ecce tibi

à Petro de Vincentia Catalogo Sanctorum
adscriptum singulariter Petrum Lombardum ; quamuis omnes sacram scientiam
profitentes, eum tantū velut totius scholasticæ Theologiæ Principem agnoscant, vene-
rentur, & suspiciant, nuspiciam tamen legi-
mus ipsum inter sanctos Ecclesiæ Doctores
relatum.) Deinde sub aliis titulis adducit
Petrus de Vincentia Diuos Augustinum,
Ambrosium, Hieronymum, Magnum
Gregorium, Irenæum, Cyprianum, Olym-
pium, Gregorium, Basiliū, Chrysostomum,
Hilarium, Athanasium, Eusebium Emiss-
num, Cassianum, Remigium, Maximum,
Bedam, Cæsarium, Isidorum, Anselmum,
Bernardum, Ildephonsum, Thomā Aquina-
tem. Itē ex summis Pontificibus, Innocent.
II. Innocent. III. Honorium III. Cle-
mentem III. Bonifacium III. Rursus
Ioannem Damascenum, Andream Episco-
pum Hiero'lymitanum, Petrum Tripolita-
num, Alcuinum, Gilbertum Porretanum,
Linconensem, Richardum de sancto Victore,
Petrum Damianum, Vincentium Ferrariensem,
Catharinam Senensem, Antonium
Paduanum. Demum quamplures alios Do-
ctores, Origenem, Albertum magnum, Hu-
gonem de sancto Theodorico, Guillelmum

*Antifiodorensem, Guillelmum Parisiensem,
Alexandrum de Ales, Io. de Turrecremata,
Durandum de sancto Portiano, Heru&um,
Ioannem de Neapoli, Robertum Olehot,
Petrum de Tarantasia, Ioannem de Polia-
co, Aegidium Romanum, Gregorium Ari-
minensem, Guillelmum Ockam, Guidonem
Carmelitam, Richardum de Medianilla,
Ostiensem, Ioannem Andream, Ioannem
Gualdarinum.*

*Iam vero hi omnes Patres & Doctores,
cum iisdem allegationibus Commentario-
rum, librorum, Tractatum, Epistolarum,
homiliarum, Capitum, sectionum, nec non
cum iisdem argumentis & illationibus fere
eodem verborum contextu videri possunt
apud Doctores, sed praesertim apud Agi-
dium Lusitanum toto lib. 3. de præseruatione
B. Virginis, prout eos sibi ex Vincentio
Bandello opposuit, & optime exposuit.*

*Adducit autem Aegidius præter relatos
Sanctos Patres, plures alios ex Bandello,
Theophilum Alexandrinum, Rethditum,
Seuerum, Abraham Syrum, Ephrem,
Theodorum Græcum Episcopum, Grego-
rium Nazianzenum, Seuerinum, Sedu-
lium, Cyrillum Alexandrinum, Leonem
Papam, Fulgentium, Prosperum, Boëtium,*

Rhabanum, Aymonem, Burchardum, Theodorum Teutonicum, Zachariam Chrysopolitanum, Rupertum Abbatem, Hugonem de sancto Victore, Bernardinum Senensem, Erardum, sine Gerardum Episcopum: quos de industria F. Petri de Vincentia libellus omisit, ut sic fraudem suam, & plagiarum facinus occultaret, (quasi vero Deus sapientes non soleat comprehendere in astutia sua,) ne si videlicet ducentis sexdecim a se citatis plures accederent, numerum fere ducentorum sexaginta Opusculi Bandelli aquaret: vel quia animaduertit in pluribus ex illis relatis, Bandellum falsitatis a Doctoribus euidentius reuictum: vel denique quia non ita valide intentum suadebant, sicut suo iudicio a se enumerati.

Reliquorum vero a Bandello adductorum non curauit Aegidius, quemadmodum nec alij Doctores, mentionem facere: vel quia illorum Opera nullibi extant, sicut nec illi forte unquam extra causas extiterunt: vel quia ante Ecclesiæ declarationem scriperunt; & certissimum sit, eos si iam in humanis essent, & eisdem de decretis a Sede Apostolica emanatis constaret, omnino sententiam mutatueros. Idemque iudicium esto de allegatis a Petro de Vincentia

*in suo Opusculo , de quo dici meritò potest,
quod de Bandello liber legationis pag. 143.
Alios etiam toto coelo ignotos , quorum
nulla fuit apud antiquos notitia , nec est
apud recentiores memoria , nec unquam
natura cognouit , in medium produxit , neq;
satis scio quibus ex angulis extraxit , quos
suo Catalogo interserit , ut putetur esse in
multitudine Dominus , & ex tanta conge-
rie Doctorum (quorum multos ille hoc no-
mine insigniuit & laureauit) magnam
conciliet suæ opinioni autoritatem.*

*V*erum , quicumque ille sit , siue Vincen-
tius Bandellus , siue Petrus de Vincentia ,
siue (quod ad veritatem magis accedere ar-
bitror ,) alius tertius qui Opusculum con-
farcinatum ex allatis à Bandello , Caietano ,
Medina , Turrecremata & Spina , in lucem
emiserit , hoc unum vel mediocriter in prin-
cipiis sacræ Theologiæ versato , certum , in-
dubitatumque est , dicti Opusculi recentis
editionis Autorem , cuiuscumque status , ora-
dus , conditionis , & instituti sit , excommu-
nicationis maioris vinculo esse innodatum ,
poenísque priuationis omnis dignitatis , &
perpetuae inhabilitatis ad quocumque offi-
cium legendi , concionandi , interpretandi ,
docendique publice , & in Capitulis , aut
Congre-

Congregationibus suffragium ferendi, & recipiendi ipso facto, & absquoulla alia declaratione incurrisse; in quibus à nullo, præterquam à summo Pontifice, (mortis articulo excepto) ullo modo dispensari potest. Id namq; pronunciant, tonant, fulminant, & promulgant Constitutiones statim ponendæ Summorum Pontificum Sixti IV. Tridentinæ Synodi, Pij V. Pauli V. præcipue verò Gregorij XV. dum anno 1622. die 24. Maij, habito in Palatio Apostolico Montis Quirinalis Dominorum Illustriss. & Eminentiss. Cardinalium aduersus hæreticam pravitatem Inquisitorum Generallum Conuentu; prædictis censuris & penis eos etiam subjecit, qui inter priuata colloquia assererent B. Virginem fuisse conceptam cum peccato Originali, aut de opinione affirmatiua aliquo modo agerent aut tractarent. (Vide infra pag. 25. §. 2. Hoc suo.) Quantò magis qui non solum in colloquiis priuatis cum quibuslibet extraneis, iuuenibus præsertim sacrae disciplinæ operam nauantibus, sed Opusculis, propositiones continentia à Sede Apostolica à centum sexaginta sex annis reprobatas & damnatas, iamdiu consepultas & sepitas, è cloacis & lacunis immundis, eo fine extrahentes,

ut suo fœtido & pestifero halitu fidelium
corda inficiant, animasque interficiant, in
lucem producunt? Quantò evidentius in
dictas Censuras & poenas incidiisse ij cen-
sendi sunt, qui libros à se partim interpo-
latos, publicè venum exponunt, in quibus
legitur, non solum Deiparam Virginem in
sua Conceptione originali macula fœda-
tam, impiumque esse huiusmodi Conceptio-
nis festum celebrare, nec argumentis ad-
uersus hoc præstantes & confitentes, sed
igne agendum esse: Imò etiam contra ex-
pressam Concilij Oecumenici Tridentini
definitionem, sub dubio esse, an aliquod
peccatum veniale aetuale patrauerit? Hac
tamen in dicto Libello & leguntur, & dis-
simulantur, quia quanti momenti res ista
sit, præsertim his temporibus non perpen-
ditur, etiam apud Tolosates, viros alioquin
Catholicos, pios admodum, & à pluribus
seculis erga purissimæ & immaculatæ
Conceptionis Diuæ Virginis festi celebra-
tionem, singulari & religiosa deuotione af-
fectos. Apud hos, inquam, Autor istius
nouæ editionis tam temerarij, periculosi,
scandalosi, piarumque aurium offensiui O-
pusculi, sua propria & spontanea confes-
sione, etiam non requirentibus, lippis & ton-

soribus, ut dicitur, notus, erecta ceruice, inuerecunda fronte velut nullius criminis reus & plane insens, per vias ciuitatis deambulans, excusat, iustificatur, pristina sedi & honori restituitur; ita ut ei iam per otium liceat sicut antehac epitomen libri Bandelli, sic integrum eius volumen, ex mandato verisimiliter fictitio, de quo plurimum gloriatur, nouo conatu praelo subidere, promulgare, & vendere.

Vt ergo tibi liquidò, amice Lector patet, non minus forte temerario & malitioso, quam nefario ausu in lucem editum libellum illum Petri de Vincentia, seu Bandelli, te scire velim quid in hac materia fuerit à Sede Apostolica & D. Petri Cathedra dictum, statutumque. Quare ne labores in euoluendo Iuris corpore, & magno Bullario Romano, quod a gre istis in locis reperias, ipsissimis verbis, sanctæ Sedis decreta, & sacri Concilij Tridentini definitiō nem habeto.

Quia verò ex illis qui præfatum Opusculum legerunt, nonnulli forsan propter insolitam supradicti Theologi exoso de argumento tractationem, reliquis de Theologia & scientia bene meritis, succensere possent; opera & pretium duxi, istic doctissimam

apponere Disputationem à Reuerendiss.
Ambrosio Catharino, Minorensi Episcopo,
& Fratrum Prædicatorum instituti profes-
sore in gratiam & defensionem immaculatæ
Conceptionis Deiparæ elucubratam, & Pa-
tribus Tridentini Concilij dicatam, ea men-
te, ut si ex improbo impugnatore scandali
plurimum & offensionis aduenerit, lætitia
tantumdem & satisfactionis à p̄issimo,
acerrimoque vindice, & assertore refunda-
tur. Gratus iucundisque non diffido quin
tibi futurus sit iste Tractatus, eumque,
hoc ipso, quod d Virginem Matrē de qua natus
est Iesus grauiter celebrat, & acute tuetur,
cum gaudio & plausu excipias; tum etiam
quia licet iam inter veteres relatus, nouan-
tiquus tamen tibi videbitur recens editus;
quippe quem hæc tenus nec forte legeris, nec
facile habere possis discretum & separatum,
grandiori Autoris volumine Romæ im-
presso, quod non tibi paſsim in Bibliothecis
occurrat.

Velim tamen, Beneuole Lector, obiter
aduertas, circa ea quæ eruditus hic vir, 2.
Parte ſuæ Disputationis docet, de Officio
immaculatæ Conceptionis, iuſſu Sixti IV.
à Leonardo de Nogarolis, Notario Apo-
ſtolico concinnato, & per totum orbem in

*Ecclesia multo tempore decantato; ex eo
quod in Romano Breuiario Pij V. autorita-
te correcto huiusmodi Officium desideretur,
illiisque loco recitari præcipiatur, idem quod
in Nativitatis B. Virginis solennitate, vo-
cabulo, Natiuitatis, dumtaxat in Conce-
ptionis mutato, perperam quosdam, ne di-
cam inscienter, aut maligne inferre, pro-
pter ea quæ in præfato Officio repetuntur
de Conceptione illibata B. Virginis utpote
à veritate aliena, ab illo Pontifice prædi-
ctum Officium reprobatum, & sublatum.
Etenim quomodo tantus Pontifex, nomine
& re vere Pius, improbare potuisset, &
abolere, quod à prædecessoribus ad cultum
Dei spæctans institutum fuerat, à Tri-
dentino expresse innouatum, in tota Eccle-
sia spatio fere centum annorum receptum
& recitatum, etiam tempore ipsius Tridentinæ
Synodi? Denique ita ab eodem Pio
approbatum noua Constitutione, & confir-
matum, ut anno immediate sequenti 1569.
post latam reformationis Breuiarij Consti-
tutionem, Ordini grauissimo sancti Fran-
cisci, eo utendi sicut antea fecerit faculta-
tem; quam Paulus V. postea anno 1609.
ad omnes dies Sabbathi per annum, extra*

tempus Aduentus, & Quadragesimæ, non
impeditos festo nouem lectionum, ut nempe
de Conceptione immaculata sub ritu semi-
duplici, Officium quod incipit, Sicut lilyum
inter spinas, ab omnibus præfati Ordinis
utriusque sexus fieri posset, extendit? Cur
ergo, inquies, Pius à novo Breuiario huic-
modi Oficium, reiecit? Certe non quod in
illo quidam minus recte appositum exi-
stimat: sed quia cum ei mens esset quam-
plurium Breuiariorum tunc in diuersis locis
existentium tollere varietatem, ad for-
mulam, ut ipse loquitur, à Summis Pon-
tificibus, præsertim Gelasio & Gre-
gorio primis constitutam, & à Gre-
gorio VII. reformatam, à qua diutur-
nitate temporis deflexerant, suum re-
ducere voluit: & ordinauit ut omnia festa
B. Virginis, tribus exceptis, Annuncia-
tionis, Purificationis, & Assumptionis,
sub Officio Nativitatis celebrarentur. Hinc
est, ut sicut eos solum Sanctos in suo Ca-
lendario retinuit, qui in antiquioribus Bre-
uiariis notabantur: plurimum sanctorum
propria Officia, ut B. Anne, Rochi, &c.
abstulit, quæ in eisdem non reperiebantur:
ita eidem Pontifici Summo placuit, ut

Sixti IV. omisso Officio, eodem quo in
Natiuitate, Clerici omnes, ipso Conceptionis
die vtereantur. Addā forsitan etiam id eo fine
factum à Pio V. ut dum vox Immacula-
ta, toties in Officio Sixti IV. repetita,
reticetur, experiretur Ecclesia, an tantus fi-
delium erga immaculatam Conceptionem
deuotionis ferveret: ut econtra ex
perseuerantia, & maiori in dies augmento,
occasionem sumeret aliquando determinan-
di veritatem hanc, velut articulum fidei ab
omnibus profitendam. Quo etiam fortasse
motu felicis memorie Urbanus VIII,
inductus, diem Decembris octauum me-
moriæ Conceptionis illibatae dicatum, li-
beræ cuiusque voluntati reliquit, velut pro-
festum colere. Porro quamvis in Officio à
Pio V. ordinato, vox, immaculata non re-
periatur, attamen quantum ad rem per ipsam
significatam, saepè in eodem Officio myste-
rium hoc, æquivalentibus titulis exprimi-
tur; dicitur enim in eo, sancta Concep-
tio, Conceptio dignissima, qua phrasa
certum est denotari sanctitatē Conceptionis;
non spiritualis tantum, qua à culpa originali
iā cōtracta, (ut quidā inepte interpretātur)
fuerit liberata; sed carnalis, & in qua cū

primum sancte Virginis anima creata est,
et in eodem prorsus momento, quo in corpus
plene et ultimò dispositum infusa, à pec-
cato illo in omnes reliquos posteros Adæ
transfundendo, singulari sui Filij Redem-
ptoris gratiâ et priuilegio, fuit præseruata.
Ad hanc siquidem sanctitatem Conceptio-
nis stabiliendam, non autem ad illam spi-
ritualem, de qua nullus unquam Catholicus
dubitauit, decreta à Sede Apostolica ema-
narunt.

Rursus quia è maxime illius Opusculi
Authorum propositum, conatus, et vota
collimant, ut probent seipsoſ ſolos ſapien-
tes, ſuadeantque ſimplicibus allucinari quo-
quot docent Beatissimam Virginem non
fuiffe culpa originali temeratam, ut ita cul-
tus et deuotionis feruor fidelium erga tam
sanctum et augustum mysterium minuatur,
pensato numero, meritóque celeberrimorum
Scriptorum, qui oppofitum docere videntur:
oportunum, imò necessarium existimauit, ſe-
riem texere, tum aliquot sacrae Scripture
lacorum, que ſancti Patres et Doctores,
omni exceptione maiores, et precipua lau-
de commendabiles de illibato Conceptu in-
telligenda tradiderunt, tum infinitorum

propemodum testimoniorum Sanctorum
Patrum, Conciliarum, summorum Pontificum,
Academiarum, aliorumque Ordinum,
& societatum scriptorum laudatissimorum.
In quorum lectione & examine hoc facile
discrimen aduertes, quod ubi isti fere omnes
conceptis verbis impollutam Deiparae Vir-
ginis conceptionem ex professo adstruunt,
vel saltem supponunt; vix est diffusa illa San-
ctorum congerie, duos, aut tres reperies qui
eandem expressis verbis inficiuntur & op-
pugnant: etenim vel in uniuersum loquun-
tur, vel propositiones uniuersales non de
actuali contractione peccati, sed de debito
contrahendi volunt intelligi: vel illorum
Patrum verba non sunt fideliter relata, ut
sapientissima Academia Tolosana censuit,
die 9. mensis Augusti nuper elapsi.

Reliquum erat, humanissime Lector, ut
quænam fuerit mens sanctorum Patrum in
testimoniosis à F. Petro de Vincentia allatis,
eorumq; verum, germanumque sensum ape-
riremus, falsitatisque apertissime in quam-
plurimis illum conuinceremus: sicut non
pauci graues Scriptores eiusdem criminis
reum Vincentium Bandellum (quem pro-
inde insignem falsarium, depilatorem, muti-
latorem, decurtatorem verborum sancto-

rum Patrum deprædicant) demonstrarunt.
Ceterū quia ex Ambrosii Catharini per-
docta & eleganti Disputatione id sufficien-
ter dignosci potest , & quamplures Docto-
res, uti Liber allegatus legationis ad Sum-
mos Pontifices , Ferdinandus Salazar,
Franciscus Biuarius , præcipue vero Egi-
dius Lusitanus , & alijs ex professo erudite
& feliticer in hoc laborarunt:nec non breui,
ut audiui , quidam non minus pius , quam
doctus Theologus eo pro dignitate est fun-
cturus officio , idcirco ad hos libenter te
remitto.

Velim tandem pro explorato habeas ,
dum aliorum Scriptorum doctrinam , &
mentem congerere statui , (peculiarem è
nostra penū tractationem eiusdem argumen-
ti , si opus fuerit & fauerint Superi , non ita
post edituri) hac imprimis fiducia fuisse
animatum , putà assertores immaculatæ Con-
ceptionis inflammatum iri , ad eam intensio-
ri cultu , & veneratione prosequendam ,
ubi hoc in Opusculo comparent , quam ma-
gnificis encomiis à venerabili , & sancta
antiquitate , necnon Sacrosanctis Conciliis
fuerit illustrata ; eiusdem vero impugnato-
res occultos (qui paucissimi sunt) diuino
intus irradiante lumine , totque validissi-

*mis, & nusquam infirmandis rationibus
conuictos, in nostram tandem aliquando
piam ductos sententiam, in eandem inui-
latam Conceptionem Deiparæ iuraturos.*

*Quidquid demum ex Scriptura sacra,
ex sanctis Patribus, & Ecclesiæ Docto-
ribus, ex Conciliis, & summorum Pon-
tificum decretis, ex grauissimis denique
Scriptoribus, hoc Opusculum proponat,
exponatque: mea hoc in argumento senten-
tia & opinio est, quæ sanctæ Romane Ec-
clesiæ, vel postmodum futura est: cuius in-
dicio & censuræ quæcumque hoc Opere
continentur, & ipsumme lubens, volens-
que submitto.*

FINIS.



APPROBATIONES DOCTORUM
SACRAE FACULTATIS THEOLOGIE.

Quod à Sancta Sede Apostolica in sacris Canonibus ad Dei honorem, & Sanctorum venerationem constitutum est, in vniuersa Ecclesia tanquam firmum & ratum esse habendum, & ab omnibus Orthodoxis propugnandum, nemo fidelis & Catholicus negabit. Si verò uspiam, quod ad Dei laudem & sanctissimæ Virginis Deiparæ commendationem de Immaculata eius Conceptione à summis Pontificibus sanctè & religiosè statutum est, asseratur, & contra eius impugnatores propugnetur, in hoc libro maximè, cui titulus est: *Libellus supplex Innocentio X. Pont. Max. Cum decretis summ. Pontt. & sacros. Concilij Trident. pro immaculata Conceptione, &c.* doctissimè, copiosissimè, & maximè eleganter asseri, propugnari, & vindicari facile intelliget pius Lector erga Diuam Virginem bene affectus, & sanctæ Sedi obedire

paratus. Quare nos infrascripti in
Academia Tolosana Theologiæ pro-
fessores, eum vtpote Doctrinæ Ca-
tholicæ maximè conformem & bonis
moribus consonum, Typis dignum
iudicamus , ab omnibus fidelibus
euoluendum, quò omnium mentibus
inserta immaculatæ Conceptionis
Sanctissimæ Virginis piâ & sanctâ opi-
nione, eorum omnium cordibus altè
maneat infixa erga illam pietas & de-
uotio. Datum Tolosæ , die 23. Octo-
bris 1649.

F. A. LANDON, Professor
Augustinianus.

F. B. MVLATIER ,
Professor Bernardinus.

Ego Frater Thomas de Laurens ,
Canonicus Regularis , ac Theo-
logalis Ecclesiæ sancti Papuli , sacræ
Theologiæ Professor , & antehac in
alma Vniuersitate Tolosana Doctor
Regens, sedula attentione librum le-
gi , cui titulus ; *Libellus supplex Inno-*


*centio X. Pontif. Max. Cum decretis
summ. Pontt. & Sacrof. Concilij Tri-
dentini, pro immaculata Conceptione,
&c. In quo nihil reperi Orthodoxæ
fidei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
doctrinæ non consonum, quinimò
multa occurunt notatu digna, & ad
deuotionem Virginis Matris condu-
centia, ad pietatem, & ad veritatem:
quare operæ pretium duxi, vt in lu-
cem prodeat. Datum Tolosæ, die tri-
gesima mensis Octobris. Anno Domi-
ni millesimo, sexcentesimo, quadrage-
simo nono.*

DE LAVRENS Canonicus
Theologalis, & Theologiæ
Professor.

*E*go F. Ioānes Dupuy, Exprouin-
cialis Minister Cœnobij Tolosan-
i, Ordinis sanctiss. Trinitatis de Re-
demptione Captiuorum, & Doctor
Academiæ Tolosanæ, fidem facio me
librum, perlegisse hoc Titulo inscri-
ptum : *Libellus supplex Innocentio X.*

*Pont. Max. Cum decretis summ. Pont. &
Sacros. Concilij Trident. pro immaculata
Conceptione. Per Ioannem, &c. in unum
corpus congesta, in quo nihil legibus diui-
nis aut Ecclesiasticis contrarium repe-
ri; imò egregiam doctrinam ad Fideles
instruēdos, & ad cultum, deuotioném-
que erga immaculatam Cōceptionem
Beatissimæ Virginis Dei Matris Mariæ
augendam maximē aptam. Quocirca
mea sententia Opus hoc typis mandari
debet. Tolosæ die 20. mensis Nouem-
bris 1649.*


F. I D V P V Y, Exprouincialis Minister
Conuentus Tolosani, Ord. SS. Trinit.
S. Theol. facul. D.



PERMISSIO ORDINARII.

*V*isa Professorum in Sacra Theologia approba-
tione supra posita, permittimus editionem li-
bri, cui titulus est, Libellus supplex Innocentio de-
cimo Pont. Max. cum Decretis, &c, pro immacu-
lata Conceptione, per Ioannem A S. M. Datum
Tolosæ, die vigesima nona mensis Decemb, anni
millesimi sexcentesimi, quadragesimi noni.

C A R O L V S Archiepisc. Tolos.





DECRETVM

SUMMI PONTIFICIS.

SIXTI IV. PRO IMMA-

culata Conceptione B.

Virginis.

I N T E R E X T R A V A G.

com. cap. Cum præcelsa de reliq.

& Venerat. SS.

Qui Conceptionem immaculatæ Virginis deuotè celebrabunt, in eodem festo, & eius octauis officio intererunt, tales consequuntur Indulgentias, quales Christi fideles in Corporis Christi solennitate.

CAPVT I.

CVM præcelsa meritorum insignia, quibus Regina cœlorum Virgo Dei genitrix gloria, sedibus prælata æthereis, syderibus quasi stella matutina prærutilans deuotæ confederationis indagine perscrutamur, & intrà pectoris arcana reuolumus,

A



quòd ipsa vtpote via misericordiæ , ma-
ter grauæ & pietatis , amica humati ge-
neris consolatrix, pro salute fidelium qui
delictorū onere grauantur sedula oratrix,
& perugil, ad Regem quem genuit inter-
cedit: dignum , quin potius debitum reputam
mus vnuersos Christi fideles , vt omni-
potenti Deo (cuius prouidentia , eiusdem
Virginis humilitatem ab æterno respi-
ciens , pro reconcilianda suo authori hu-
mana natura , lapsu primi hominis æter-
næ morti obnoxia , eam sui Vnigeniti ha-
bitaculum , Sancti Spiritus præparatio-
ne constituit ex qua carnem nostræ mor-
talitatis pro redemptione populi sui as-
sumeret , & immaculata Virgo nihilomi-
nis post partum remaneret) de ipsius im-
maculatæ Virginis mira Conceptione gra-
tias , & laudes referant , & instituta prop-
terea in Dei Ecclesia Missas , & alia diuina
Officia dicant , & illis interfint , indul-
gentijs , & peccatorum remissionibus in-
uitare , vt exinde fiant Virginis meritis ,
& intercessione , gratiæ aptiores. Hac igi-
tur consideratione inducti , eiusdem om-
nipotentis Dei , ac beatorum Petri & Pauli
Apostolorum eius autoritate confisi , au-
thoritate Apostolica , hac in perpetuum
valitura Constitutione , statuimus & ordi-
namus , quòd omnes & singuli Christi fide-
les vtriusq; sexus , qui Missam & Offi-
cium Conceptionis eiusdem Virginis glo-

riosæ , iuxta piam , deuotam , & laudabilem ordinationem dilecti filij , Magistri Leonardi de Nogarolis , Clerici Veronensis , Notarij nostri & quę desuper à Nobis emanauit , Missæ & Officij huiusmodi institutionem in die Festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis Mariæ , & per Octauas eius deuotè celebrauerint & dixerint , aut illis Horis Canonicis interfuerint , quoties id fecerint , eandem prorsus Indulgentiam , & peccatorum remissionem consequantur , quam iuxta felicis recordationis Vrbani IV. in Concilio Viennensi approbatas , ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones consequuntur illi , qui Missam & Horas Canonicas in Festo Corporis & Sanguinis Christi Domini nostri Iesu Christi à primis vesperis , & per illius Octauas , iuxta Romanæ Ecclesiæ Constitutionem celebrant , dicunt , aut Missæ , Officio , & Horis huiusmodi intersunt : præsentibus perpetuis temporibus valituri. Datum Romæ apud S. Petrum , anno Incarnationis Dominicæ 1466. 3. Calend. Martij , Pontificatus nostri anno sexto.

¶



I D E M I N E A D E M MATERIA.

E X C O M M V N I C A T I O N E M
de facto incurruunt Prædicatores afferentes
diuinam Virginem in peccato mortali fuisse
conceptam: Qui etiam dicunt quòd Festum
Conceptionis eius celebrantes grauiter pec-
cant. Et vult præsentem Constitutionem in
locis populosis publicari.

C A P V T II.

GRATIE nimis gerimus & mo-
lestum cùm sinistra nobis de
quibusdam Ecclesiasticis per-
sonis referuntur. Sed in eorum,
qui ad euangelizandum verbum Dei sunt
deputati excessibus prædicando commis-
sis, èò grauiùs prouocamur, quòd illi peri-
culosius remanent incorrecti: cùm facile
deleri nequeant qui multorum cordibus

5

fic publicè prædicando diffusius & dam-
nabilius imprimantur errores. Sanè cùm
sancta Romana Ecclesia de intemeratæ,
semperq; Virginis Mariæ Conceptione pu-
blicè Festum solenniter celebret , & spe-
ciale ac proprium super hoc Officium or-
dinauerit : nonnulli (vt accepimus) di-
uersorum Ordinum Prædicatores , in suis
Sermonibus ad populum publicè , per di-
uersas ciuitates & terras affirmare hacte-
nus non erubuerunt , & quotidiè prædica-
re non cessant , omnes illos qui tenent ,
aut asserunt eandem gloriosam & im-
maculatam Dei genitricem absq; origina-
lis peccati macula fuisse conceptam , mor-
taliter peccare , vel esse hæreticos eius-
dem Officium Conceptionis celebrantes ,
audientesq; Sermones illorum , qui eam si-
nè huiusmodi macula conceptam esse af-
firmant peccare grauiter. Sed & præfatis
Prædicationibus non contenti , confessos
super his suis assertionibus libros in publi-
cum ediderunt , ex quorum assertioni-
bus & Prædicationibus non leuia scanda-
la in mentibus fidelium exorta sunt , &
maiora merito exoriri formidantur in dies.
Nos igitur huiusmodi temerarijs ausibus
ac peruersis assertionibus ac scandalis ,
quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri pos-
sunt quantum nobis ex alto conceditur ,
obuiare volentes , motu proprio , non
ad alicuius nobis super hoc oblatæ peti-

tionis instantiam; sed de nostra mera delibera-
tione & certa scientia, huiusmodi af-
fertiones Prædicatorum eorumdem &
aliorum quorumlibet qui affirmare præsu-
merent, eos qui crederent, aut tenerent
eandem Dei genitricem ab originalis pec-
cati macula in sua Conceptione præser-
uatam fuisse, propterea alicuius hære-
sis labo pollutos fore, vel mortaliter pec-
care, aut huiusmodi Officium Conceptio-
nis celebrantes, seu huiusmodi Sermones
audientes, alicuius peccati reatum in-
currere, utpote falsas & erroneas, & à ve-
ritate penitus alienas, editosq. desuper li-
bros prædictos id continentes, quoad
hoc authoritate Apostolica tenore præ-
sentium reprobamus & damnamus. Ac
motu, scientia, & authoritate prædictis
statuimus & ordinamus, quod Prædicato-
res verbi Dei, & quiçumq; aliij, cuius-
cumq; status, gradus, aut Ordinis, ac
conditionis fuerint, qui de cætero ausu-
temerario præsumperint in eorum Ser-
monibus ad populum, ceu alias quo-
modolibet affirmare huiusmodi sic per nos
improbatas & damnatas assertiones ve-
ras esse, aut dictos libros pro veris lege-
re, tenere, vel habere postquam de præ-
sentibus scientiam habuerint, Excom-
municationis sententiam, eo ipso incur-
rant, à qua ab alio, quam à Romano
Pontifice (nisi in mortis periculo) ne-

queant absolutionis beneficium obtinere.
 Item motu, scientia, & authoritate similibus, simili poenæ ac censuræ subiicien-
 tes eos, qui ausi fuerint asserere contra-
 riā opinionem tenentes, videlicet glo-
 riosam Virginem Mariam. Cum originali
 peccato fuisse conceptam hæresis crimen,
 vel peccatum incurrire mortale, cum
 nondum sit à Romana Ecclesia, & sede A-
 postolica decisum. Non obstantibus Con-
 stitutionibus, & Apostolicis ordinatio-
 nibus contrarijs quibuscumque, quibus
 communiter vel diuīsim à sede Apostoli-
 ca indultum existat, quod interdici, sus-
 pendi, vel excommunicari non possint,
 per litteras Apostolicas non facientes ple-
 nam ac expressam; ac de verbo ad verbum,
 de indulto huiusmodi mentionem. Et
 ne de præmissis aliquando valeant ig-
 norantiam allegare, volumus quod loco-
 rum Ordinarij requisiti, præsentes litte-
 ras in Ecclesijs consistentibus in eorum
 ciuitatibus & suarum dioecesum locis insig-
 nibus, dum maior ibi multitudo popu-
 li ad diuina conuenerit, Sermonibus ad
 populum mandent, & faciant publicari.
 Præterea quia difficile esset præsentes lit-
 teras ad singula loca, in quibus expedi-
 ens fuerit deferre, etiam volumus, & dicta
 authoritate decernimus, quod earum-
 dem litterarum transsumpto, manu publi-
 ci Notarij confecto, & authentico alicuius

Prælati Ecclesiastici sigillo munito, vbiq;
stetur, prout staretur eisdem originalibus
litteris, si forent exhibitæ vel osten-
sæ. Nulli ergo omnino hominum li-
ceat hanc paginam nostræ reprobatio-
nis, damnationis, statuti, ordinationi s., vo-
luntatis, & decreti infringere, vel ei ausu te-
merario contraire. Si quis autem hoc at-
tentare præsumperit, indignationem om-
nipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pau-
li se noverit incursum. Datum apud
Sanctum Petrum, anno Incarnationis Do-
minicæ 1493. pridie Nonas Septembbris,
Pontificatus nostri anno 13.



DECRETUM CONCILII TRIDENTINI

PRO IMMACVLATA

Conceptione eiusdem B. Virginis, Sess. 5. de Peccato Originali.

DECLARAT tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato Originali agitur, B. & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed obseruandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pænis in eis Constitutionibus contentis, quas innouat.



DECRETUM

PII V. DE EADEM RE,

IN BULLARIO ROMA-
no, Constitutione 114.

PROHIBITIO DISPUTANDI
in publicis Prædicationibus de Con-
ceptione B. Mariæ Virginis, aut
de ea Vulgari sermone feri-
bendi vel dictandi.

PIVS. EPISCOPVS, SER-
VVS SERVORVM DEI
ad perpetuam rei me-
moriam.

SVPER speculam Domini, viribus
licet exiguis, constituti, Prophe-
tæ solicitudinem imitantes, die
noctuq. ad diuersos Ecclesiæ status
nostræ mentis aciem intendimus, stu-
diosè prouidentes, vt communi Domino
ab omnibus gradibus fideliter seruiatur, ab

illis maximè quibus digniora ministeria diuini Spiritus fauore credita sunt ; inter quos diuini verbi prædicatores adnumerandos esse nemo dubitare poterit , qui eorum munus ab ipso Domino consecratum , Apostolis præcipue iniunctum fuisse animaduertet , qui si adepto gradu dignè fungerentur euāgelizantes pacem , annunciantes bona , prædicantes salutem , non solum vox eorum dulcis , verū & speciosi pedes viderentur , & fraternæ salutis vberes fructus referentes multam fiduciam haberent in die Domini . Verū quod neque finē animi dolore accepimus , nec referre possumus , quidam diuersorum Ordinum Regulares , Clericique seculares , omissis quæ diuinæ Majestatis gloriam , & sanctissimæ Dei genitricis , aliorūq; diuinorum venerationem , atq; fidelium pietatem promouere poterant , quod Apostolus in quibusdam arguit , languent circa quæstiones & pugnas verborum , ex quibus oriuntur inuidiæ , & contentiones , cæteraque vitiorum monstræ , potissimum vero , cùm de gloriose Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit , tam pertinaciter , pro alterutra parte contendunt , ac si de illis dogmatibus esset , quæ corde credere ad iustitiam , ore confiteri ad salutem necessarium est ; quibus illud prophetæ conuenire videtur ; Dicunt , ait Dominus , cùm ego non sim locutus , cùm

sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra , & doctrix disciplinæ , de ea re huc usque non definierit , nemo absq; temeritate præjudicare , vel alterius sententiam damnare potest , & quasi desint præclarissima inuentricis gratiæ merita , quæ nec Angelica quidem lingua satis dignè referri possunt . Et cum ex illo uberrimo fonte , puteo que aquarum viuentium non possint saluberrimas haurire aquas , quibus fidelis populus , magna cum utilitate atq; dulcedine reficeretur , ad dissipatas cisternas occurrunt , stultas scilicet & sinè disciplina quæstiones , quæ generant lites , quas nec frequens multitudo intelligere , nec viri sapientes qui capiunt , utiliter percipere valeant , præsertim quoniam ut experimento didicimus ipsorum concionatorū , qui ad quæstiones huiusmodi proponendas facilius erumpere solent , maior numerus materiæ difficultatem prorsus ignorantes , neq; intelligentes quæ loquuntur , aut de quibus affirmant , simplicium animos , indiscretæ deuotionis obtentu , vel potius loquacitatis , & ostentationis effectu , ad tumultus & similitates concitant , quos tumultuantes atq; dissidentes componere , sedareque potius oportebat . Cumq; paruulis in Christo lac infundere , prouectis solidum cibum apponere deberent , dum in huiusmodi controuersijs interminatis versantur , omnibus ubera

proferunt arentia , quod non absque male-
dictionis nota legimus in propheta.

§. 1. Nos igitur qui prædecessorū nostro-
rum saluberrima decreta , pro viribus salua
esse cupimus , potissimum illa quæ à sacro-
sancta Tridentina synodo denuò sunt con-
firmata , liberam cuique facultatem relin-
quentes opinandi huius controvèrsiæ
quamlibet partem , prout vel magis piam ,
vel magis probabilem esse iudicauerit ,
prædictorum igitur Concionatorum ,
vñorūque contentioni , populorūque
scandalis occurrere studentes , motu pro-
prio , non ad alicuius super hoc nobis ob-
latæ petitionis instantiam , sed ex nostra
certa scientia , ac de Apostolicæ po-
testatis plenitudine , statutum fel. record.
Sixti IV. prædecessoris nostri super ea re,
quod à præfata Synodo innouatum est (il-
lud præsentibus , ac si de verbo ad verbū
esset insertum , pro plenè & sufficienter
expresso & inserto habentes) Apostolica
authoritate tenore præsentium confirmam-
mus , & approbamus.

§. 2. Atque ut deinceps efficaciùs à
cunctis obseruetur , perpetuò statuimus &
ordinamus , quatenus nemo cuiuscumque
gradus , ordinis , conditionis , vel dignita-
tis existat , in popularibus concionibus , vel
vñicumque promiscua virorum & mulie-
rum multitudo conuenire solet , de huius
controvèrsiæ alterutra parte disputare , ra-

tionibus vel Doctorum authoritate asse-
rendo propriam sententiam, & contrariam
refellendo, aut impugnando, vel de hac
ipsa quæstione, cuiusvis pietatis, aut ne-
cessitatis prætextu, vulgari sermone scri-
bere aut dictare præsumat. Qui contræfe-
cerit, suspensionis poenam à diuinis absque
noua declaracione ipso facto incurrat, si
modò fuerit in sacris constitutus, & quo-
cumque præterea gradu, siue dignitate, vel
administratione fungatur, illis omnibus
sit ipso iure priuatus, & ad eadem, vel
milia munera obeunda perpetuæ inhabili-
tatis censuræ ipso etiam facto sit obnoxius,
super quibus nisi à Romano Pontifice, pro
tempore existente dispensari, siue absolu-
non possit. Et nihilominus aliis pænis si
opus fuerit à proprio Prælato, pro delicti
mensura infligendis subijciatur, prout sub-
ijcimus.

§. 3. Cæterùm quamdiu per Apostoli-
cam sedem altera pars definita non fuerit,
oppositaque sententia condemnata, liceat
viris doctis in publicis Academiæ dispu-
tationibus siue Generalium, aut Prouincial-
ium Capitulorum, vel vbi aliàs intersunt
qui rem capere possunt, nec scandali vlla
subest occasio, de illa quæstione differere,
& argumentis utramlibet partem vel asse-
rere vel impugnare, dum tamen neutra
veluti erronea prædicetur, seruenturque
illa omnia, quæ à dicto Sixto prædecessore,

nostro statuta sunt , quorum singula ut
præfertur , etiam quantum ad alias pœnas ,
duximus innouanda , & innouamus per
præsentes.

§. 4. Ut autem hæc nostra Constitutio , &
præmissa omnia , ad eorum omnium quo-
ram interest , notitiam congruentius per-
uenire possint , in virtute sanctæ obediens-
tiæ , & sub pœna priuationis ab ingressu
Ecclesiæ etiam eo ipso incurrenda , si in his
quæ mandamus exsequendis se negligen-
tes exhibuerint , præcipimus & mandamus
omnibus & singulis locorum Ordinariis , ac
eorumdem Vicariis suffraganeis , & Offi-
cialibus quibuscumque ad quos quomodo-
libet spectat & pertinet , quatenus huius-
modi nostram Constitutionem singulis suæ
dioecesis , vel districtus prædicatoribus , &
aliis quibus expedire iudicauerint , oportu-
nè insinuent , & publicent , ac insinuari &
publicari faciant . Et ne quis imposterum
quoquo modo ignorantiam de præmissis
possit prætendere , aut se contra præmissa
valeat excusare .

§. 5. Volumus , & similiter eadem au-
thoritate decernimus & mandamus , quod
præsentes litteræ per aliquos ex nostris
Cursoribus in Basilicarum S. Ioan. Latera-
nensis , ac Principis Apostolorum , & Can-
cellariæ Apostolicæ valuis , ac in acie cam-
pi Floræ de Vrbe de more publicentur &
affigantur , & illis inde amotis remaneant

exempla affixa : quæ publicatio & affixio,
ita omnes ad quos spectat afficiat & arctet
ac si illis personaliter intimatae fuissent.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus
& ordinationibus , ac quibusuis indultis &
litteris Apostolicis , quibusuis personis ,
etiam quantumcumque qualificatis , &
in quacumque etiam Cardinalatus , Pa-
triarchali , Archiepiscopali , Episcopali , vel
quauis alia dignitate & honore constitutis ,
etiam quod interdici , suspendi vel excom-
municari nequeant quomodolibet concele-
bris , quæ eis contra præmissa in aliquo suf-
fragari non posse decernimus , cæterisque
contrariis quibuscumque .

§. 7. Volumus insuper & decernimus ,
quod præsentes vim perpetuæ & irrefra-
gabilis Constitutionis obtineant , & quod il-
larum transsumptis etiam impressis , manu
alicuius Notarij subscriptis , & sigillo ali-
cuius personæ in dignitate Ecclesiastica
constitutæ munitis , eadem prorsus fides
adhibetur quæ præsentibus litteris adhi-
beretur , si ostensæ vel exhibitæ forent .
Regula nostræ Cancellariæ Apostolicæ , in
contrarium disponente , non obstante .

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc paginam nostræ confirmationis , ap-
probationis , statuti , ordinationis , mandati ,
subiectionis , innouationis , præcepti , volun-
tatis , & decreti infringere , vel ei aufu-
merario contraire ; si quis autem hoc atten-
tare

tare præsumpscerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1570. prid. Kal. Decembris Pont. nostri anno quinto.



*INNOVATIO CONSTITUTIONVM
à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione B.
Mariae Virginis editarum, impositiōque ma-
iorum pœnarum, in transgressores à locorum
ordinariis, & hæreticæ prauitatis Inquisi-
toribus puniendos.*

In Bullario Romano, Constit. XCII.

PAVLVS PAPA QVINTVS, AD
perpetuam rei memoriam.

REGIS pacifici, quamquam nullo nostro merito diuina dispensatione vicem gerentes in terris, ex munera nostri debito pacis & concordiae inter Christi fideles, præsertim Ecclesiasticas personas, quæ aliis in viam pacis dirigendis, & in unitate spiritus continendis sunt præpositæ, conservacioni sedulò inuigilare cupientes, ea quæ à prædecessoribus nostris Romanis

Pontificibus ad scandalorum semina tol-lenda salubriter instituta sunt, quæ hostis antiqui insidiis, qui ab initio dissidia ferere cœpit, minimè obseruari, aut variis modis eludi dignoscuntur, ut inviolata seruen-tur, opportunis remediis, quantum cum Domino possumus, prouidemus.

§. 1. Olim siquidem per felicis recordationis Sextum Papam IV. prædecessorem nostrum accepto quod nonnulli diuersorum Ordinum Prædicatores, &c.

§. 2. Hanc verò Sixti prædecessoris nostri Constitutionem Oecumenica Tridentina synodus postea innouauit.

§. 3. Ac deinde similis recordationis Pius Papa V. etiam prædecessor noster, statuit, ordinauit, & mandauit quatenus, &c.

§. 4. Verùm licet hæc prouide statuta sint, nihilominus sicut accepimus, nonnulli in diuersis Christiani orbis partibus, interminatis quæstionibus nimis intenti, dissensionum huiusmodi iampridem Ecclesiæ disciplinæ vigore recisa germina coalesce-re procurant, indéque contentiones & ri-xæ non sine Dei offensa & scandalo plurimorum exortæ sunt, & grauiores in dies ne exoriantur periculum est, nisi à Nobis opportunè prouideatur.

§. 5. Quamobrem motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ peti-tionis instantiam, sed ex certa scientia, ac

matura deliberatione nostris, Constitutionum Sixti, & Pij prædecessorum huiusmodi veriores tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, easdem Constitutiones Apostolicâ authoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, & etiam quoad earum pœnas quacumque etiam absolutionis referuationem innouamus & inuiolabiliter ab omnibus etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis & instituti, & alias quibuscumque tam Ecclesiasticis quam sacerdotalibus personis, cuiusvis status, gradus, Ordinis, conditionis aut dignitatis tam Ecclesiasticæ quam sacerdotalis, etiam si specialis, specifica & individua earum esset necessariò facienda mentio obseruari præcipimus & mandamus, donec à Romana Apostolica sede huiusmodi controuersia fuerit definita.

§. 6. Ac præterea si quis quovis modo contrauenerit præter supradictarum Constitutionum pœnas respectuè ipso facto incurendas, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce actiua & passiua, in quibuscumque electionibus, eo ipso absque aliqua alia declaratione priuatus existat, nec non & concionandi & publicè legendi, docendi, & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat, absque alia declaratione, à quibus non nisi à nobis ipsis, vel successoribus nostris Ro-

manis Pontificibus pariter absolui, & eu super iis dispensari possit, & nihilominus aliis poenis nostro & eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis, subiiciatur, prout eum subiicimus per praesentes.

§. 7. Et contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares, cuiusvis Ordinis, & instituti etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas personas & saeculares cuiuscumque status, gradus, Ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quam saecularis ut praefertur, tam Episcopi & Prælati, superiores, aliquique Ordinarij locorum, quam haereticæ prauitatis vbi que locorum deputati Inquisitores procedant & inquirant, atque in eos seuerè animaduertant. Nos enim iis & eorum cui libet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac poenis coercendi, & puniendi liberam facultatem & authoritatem iis autoritate & tenore praesentium tribuimus & impartimur, cosque ut præfertur procedere, inquirere, & punire præcipimus & mandamus.

§. 8. Non obstantibus omnibus iis & singulis quæ tam Sixtus, quam Pius V. predecessores, &c.

§. 9. Et ne premissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, volumus & dicta auctoritate, &c.

§. 10. Quod praesentium transumptis

22

etiam impressis, manu Notarii, publici subscriptis, &c.

Datum Romę apud sanctam Mariam
Maiores sub annulo Piscatoris, die 6. Iu-
lij, anno 1616. Pontificatus nostri an-
no 12.



AMPLIATIO,

ET DECLARATIO PRO-

HIBITIONIS ASSEVERENDI

B. Mariam Virginem conceptam
fuisse in peccato Originali.

*In generali Congregatione sanctae Romanae &
universalis Inquisitionis, habita in Palatio
Apostolico, in monte Quirinali coram S. D. N.
Gregorio diuina prouidentia Papa XV. ac
Illustr. & Reuerend DD. S. R. E. Cardd.
aduersus haereticam prauitatem Inquisitori-
bus Generalibus à sancta sede Apostolica
specialiter deputatis. Feria 3. die 24. Maij,
anno à nativitate D. N. Iesu Christi 1622.*

In Ballario Rom. Constit. XXIX.

SANCTISSIMVS D. N. au-
ditis votis Illustrissimorum & Reue-
rendissimorum DD. Cardinalium
contra haereticam prauitatem Ge-
neralium Inquisitorum, decretum alias
editum à fel. recor. Paulo V. eius præde-
cessore tenoris sequentis; videlicet: Sanctis-

Sumus D. N. post longam & maturam di-
 cussionem , auditis votis Illustrissimorum
 & Reuerendissimorum D D. Cardinalium
 contra hæreticam prauitatem generalium
 Inquisitorum , re accurate ac diligenter
 perpensā, prouidè considerans quòd quam-
 uis in Constitutione fel. recor. Sixti IV.
 super Conceptione beatissimę Virginis
 Marię , pro submouendis inter Christi fi-
 deles scandalis , rixis , & contentionibus
 edita , à sancta Trid. Synodo innouata , &
 deinde in alia Constitutione sanctę mem.
 Pij V. super eadē re, quas similiter Sanctitas
 sua innouauit , cum quibusdam prouisio-
 nibus , & adiectionibus pœnarum pro ef-
 ficaciori earum obseruatione, relinquatur
 vnicuique libera facultas tenendi , & etiam
 asserendi utramque partem ; quòd scilicet
 fuerit , vel non fuerit concepta in peccato
 Originali : dum tamen neutra veluti er-
 ronea aut hæretica danietur: nihilominus
 ex occasione assertionis affirmatię in pu-
 blicis Concionibus , Lectionibus , Conclu-
 sionibus , & actibus publicis , quòd eadem
 beatissima Virgo Maria fuerit cum peccato
 Originali concepta , oriuntur in populo
 Christiano cum magna Dei offensa scanda-
 la , iurgia , & dissensiōnes. Propterea vo-
 lens huiusmodi scandalis , ex debito sui
 muneris prouidere , decreuit & præcepit , ac
 præsentis decreti virtute mādat , & præcipit
 omnibus & singulis cuiusuis Ordinis , gra-

dus, conditionis, status aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quam secularis, etiam si specialis, specifica, & individualia carum esset necessariò mentio facienda, ut in posterum; donec articulus huiusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadē beatissima Virgo, fuerit in peccato Originali concepta. Contra facientes eadem Sanctitas sua voluit & declarauit subiacere debere, & sabiecit censuris & poenis contentis in supradictis Constitutionibus suorum predecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec illi prorsus ultum prejudicium inferre, eam relinquentis in eisdem statu & terminis, in quibus de presenti reperitur, preterquam quoad disposita. Ulterius sub eisdem censuris & poenis mandans quod negatiuam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato Originali in predictis actibus publicis asserentes, aliam opinionem non impugnant, nec de ea aliquomodo agant, ceu tractent. Insuper voluit & expressè mandauit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmè &

illeſe remaneant & exacte obſeruentur perinde ac ſi præſens decretum non emanaveret. Et ita decreuit, & ubique mandauit inuolabiliter obſeruari, non obſtantibus in hac parte supradictis Constitutionibus & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c.

§. 2. Hoc ſuo præſenti decreto ex eisdem cauſis, ad evitanda ſcandala, diſſenſiones atque diſcordias in populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriſi poſſant, & ut accepit in aliquibus regionibus iam ortæ ſunt ex priuatis ſermonibas, occaſione afſertionis afſirmatiæ, extendit & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & ſcripta; mandans, & præcipiens omnibus & ſingulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apoſtolica fuerit diſfinitus, vel per Sanctitatem ſuam & ſedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in ſermonibus, & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato Originali, nec de hac opinione afſirmatiua aliquo modo agere ceu tractare; exceptis tamen quibus à Sancta ſede Apoſt. fuerit ſuper hoc ſpecialiter indaltum. Per hoc tamen Sanctitas ſua non intendit reprobare hanc opinionem, nec vllum ei prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem ſtatu & terminis in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fel. record. Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita.

§. 3. Eadēmque Sanctitas sua voluit, & expressè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi decretis non aduersantur Constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pij V. ac Pauli V. eius prædecessorum super Conceptione Beatiss. Virginis firmæ, & illibatae remaneant, ac exactè obseruentur, ac si huiusmodi decretum non remanasset.

§. 4. Et in super eadem Sanctitas sua voluit, cùm sancta Romana Ecclesia de Beatis. Virginis Conceptione festum solenniter & Officium celebret, omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quā cuiusuis Ordinis & instituti Regularibus mandat ac præcipit, vt in sacro sanctæ Missæ sacrificio, ac diuino Officio celebrandis, tam publicè quam priuatim non alio quam Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem Sanctitas sua voluit, & declarauit subjacere debere, subiecit censoris, & poenis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato decreto suorum Prædecessorum ipso facto incurrendis, & ita decreuit, & mandauit ubique inuolabiliter obseruari.

§. 5. Non obstantibus in hac parte Constitutionibus supradictis, decreto præfato Pauli V. Consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus, & singulis quæ Prædecessores prædicti voluerunt non obstat, ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus.

§. 6. Volens & decernens pro obseruatione & executione præsentis decreti , & omnium in eo contentorum , quod contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares, cuiusve Ordinis & instituti , etiam quomodo libet exemptos , & alias quascumque Ecclesiasticas & seculares personas cuiuscumque status , conditionis , gradus , ordinationis , aut dignitatis tam Ecclesiasticæ , quam secularis , tam Episcopi & Prælati superiores, aliquique Ordinarij locorum, quam haereticæ prauitatis vbiue locorum deputati Inquisitores procedant , & in eos seuerè animaduertant , tribuens eis & eorum cuilibet liberam facultatem & authoritatem contra eosdem transgressores procedendi , ac poenit coercendi & puniendi.

§. 7. Voluit demum ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit , quod præsens decretum , ceu illius exempla ad valvas Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe , & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimata fuissent , quodque præsentium transsumptis , &c.



SEQVITVR
DECLARATIO SVPRA-
DICTI DECRETI.

*In Bullar. Romano post Constit. XXIX.
immediate.*

GREGORIVS PAPA XV. AD
futuram rei memoriam.

§. 10.

NVNC autem Nos eiusdem Fratres Ordinis Prædicatorum , quos in visceribus gerimus caritatis, specialibus fauoribus & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à iure , vel ab homine quauis occasione , vel causa latis , si quibus quomodolibet innodatae existunt , ad effetum præsentium dumtaxat consequendum , harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes , motu proprio , & ex certa scientia , ac matura deliberatione nostris, omnibus & singulis dicti Ordinis Prædica-

39

torum Fratribus , ut de cætero in quibus-
cumque priuatis eorum colloquiis , ceu
conferentiis, inter se dumtaxat, & non alios,
aut cum aliis , de materia eiusdem Concep-
tionis B. Mariæ Virginis differere & tra-
ctare absque ullo poenarum in dictis decre-
tis contentarum incursu , liberè & licitè
possint & valeant , Apostolica authoritate,
tenore præsentium licentiam concedimus
& impartimur.

§. 11. Decernentes Fratres præfatos à
quoquam quauis authoritate desuper mo-
lestari , perturbari , vel inquietari nullaten-
nus posse, aut debere ; sicque, & non aliter
per quoscumque Ordinarios, & delegatos,
etiam causarum Palatij Apostolici Auditio-
res ubique iudicari & definiri debere , ac
irritum & inane , si fecus super his, à quo-
quam quauis authoritate scienter vel igno-
ranter contigerit attentari.

§. 12. Non obstantibus singulis præmis-
sis , &c.

Datum Romæ , apud Sanctam Mariam
Maiores sub annulo Piscatoris , die 28. Iu-
lij 1622. Pontificatus nostri, anno secundo.



DISPV T A T I O

PRO VERITATE IMMACVLATÆ

CONCEPTIONIS BEATISSIMA

Virginis, & eius celebranda
à cunctis Fidelibus
Festivitate.

AD SANCTAM SYNODVM

T R I D E N T I N A M.

A U C T O R E R. P. F. A M B R O-
sio Catharino Polito, Episcopo Mine-
riense, ex ordine Prædicato-
rum assumpto.

Sicut lilyum inter spinas, sic amica mea
inter filias. Cant. 2.

R O M Æ,

Apud Antonium Bladum, Cameræ Apo-
stolicæ Typographum.

M. D. L I.





A D
REVERENDISSIMVM,
ET ILLVSTRISSIMVM D.D.

MARCELLVM, PRESBYTERVM CARDINALEM,

TITVL S. MARCELLI, ET IN
Concilio Tridentino, Sanctæ
sedis Apostolicæ
Legatum.

E T
AD RR. CVM ILLO PRÆSIDEN-
tes, D. SEBASTIANVM PIGRIVM,
Archiepiscopum Sipontinum; & D.
Aloisium Lippomanum, Episcopum
Veronensem, & ad reliquam sanctam
Synodum,

F. AMBROSII CATHARINI POLITI
Episcopi Minoriensis, in Disputationem pro
Veritate immaculatæ Conceptionis B. Vir-
ginis, & celebranda eius ab Uniuersis Fi-
delibus festinitate.

P R A E F A.



PRAEFATIO.

VM abhinc fere sexennium istic Tridenti ageret sancta Synodus ad id potissimum congregata ut hæreses & zizania, quæ in agrum Domini irreperserant tollerentur, & eò iam peruentum esset, ut de Originali peccato tractaretur; plerique ex Patribus admonebant, optimum esse atque oportunum, speciali decreto eam sententiam de immaculata B. Virginis Conceptione, quæ dudum à cunctis prorsus Ecclesiis solenni ritu celebratur, & colitur, ita probari ac statui, ut iam vterius non liceret cuiquā ea de re se-
cūs vel assicerere, vel opinari. Id quibusdam licet admodum paucis tunc non placuit, nec ut verum fatear, mihi quidem ipsi: non quod rem ipsam non vehementer optarem, vt potè sanctam & Christianæ fraternitati congruentem, quæ imprimis eumdem in dogmatibus sensum, eandemque in cultu Dei obseruantiam poscit: sed quia consultius per conditionem temporum videbatur prius aduersus hæreses manifestas intendere, tum illa aggredi quæ

C

inter Catholicos controuersa , digna vide-
rentur decisione. Nec defuerunt qui hunc
tractatum in eum locum seruari volebant,
cum de celebratiōne festorum ageretur: qua
in re nonnulli vigent abusus (inter quos
hic numerari debet) meritò abolendi. Nam
cum à quibusdam sub variis nominibus &
intellectibus dies ille festus celebretur, &
summopere ab omnibus piis desideretur
vniformitas: nemo profectò nisi schisma-
tico exagitatus spiritu contradicere po-
tuisset.

Hæc igitur in Synodo cùm tractarentur,
ecce nouus liber , imò vetus à situ & ca-
rie iam semiesus eripitur , qui multò pòst
typis excusus in lucem prodiit. Libri eius
argumentum erat contra immaculatam B.
Virginis Conceptionem, cuius autor inscri-
bitur Cardinalis de Turrecremata , cùm
nondum tamen esset Cardinalis , sed adhuc
Frater sub Ordine Prædicatorum constitu-
tus. Editionis autem eius Libri promotor
F. Bartholomæus Spina eiusdem Ordinis, &
sacri Palatij Magister , & nescio quis eius
discipulus. Ille enim Spina , eodem disci-
pulo teste , qui Epistolam Præfatoriā ad
eum librum adscripsit , zelo fidei totus in-
census , magno labore librum ab erroribus
expurgari & publicari curauit , quem ex-
trema ægritudine præuentus vix perficere
valuit , quia totus liber ille ita vitio scri-

ptoris erat corruptus , vt alicubi minus intelligibilis videretur. Horum igitur, hoc est, Spinæ & discipuli summa diligentia & solerti opera tandem est candori pristino restitutus : quinetiam tot insuper (eodem discipulo teste) adiecta & mutata , vt iam queat homo mediocre prudentia præditus olfacere eum librum non tam esse Turrecrematæ, quam Spinæ. Licet enim vir ille doctus & pius , & de Christiana republica optimè meritus , sibi eo tempore licitum esse putauerit , vt talia scriberet , quando nondum in perspicuo positus erat Ecclesiæ sensus : nemini tamen dubium esse debet, quin si præsenti nostra ætate viueret , & videret cui parti in Ecclesia fuet spiritus veritatis , id iam minimè auderet , nec ea in publicum venire pateretur , quæ ipse re minus trita anteriore tempore elucubrasset: id quod in secunda parte Operis pollicetur me non omnino proteruis facile ex illius sententiis persuasurum. Quis enim nesciat nonnulla esse etiam in magnis Autoribus, quos ita scripsisse , si nunc nobiscum agerent , peniteret ? Mitto illud quod viri sapientes per se protinus ponderare poterunt, dum scilicet isti vltò fateantur multa fuisse illi libro ab ipsomet Spina mutata & adiecta , iam à nobis non posse certò dignosci , quid sit verè genuinum & proprium primi Authoris , vt sic verè tota istius

libri ; quem ita suis verbis refererunt , le-
gitima pereat authoritas . Nam quis igno-
rat quantum intersit rescire à quo , quid vel
prolatum , vel litteris mandatum fuerit ?
non enim paris sunt & eiusdem fidei , & au-
thoritatis , quæ ille Turrecremata dixerit ,
& quæ Spina de suo temerè adiecerit , aut
subtraxerit , aut immutauerit . Cuius rei
clarum omnibus debet esse istud indicium ,
quod hic Spina in calce illius libri quin-
quaginta & octo errores , & eos quidem
non quoslibet , sed errores in fide subno-
tauit , ab hac conclusione exorientes , vi-
delicet Virginem absque Originali pecca-
to conceptam . Quo in loco pium & pru-
dentem Lectorem dari mihi vehementer
exopto , qui ab hoc solo pronunciato ag-
noscat , quam facile hic vir , verè Spina ,
potuerit quidquid libuerit pronunciare ,
cum quinquagesies & octies hæreticos nos
qui eam sententiam sequimur , deprehen-
derit .

Hec , sanctissimi Patres , scribuntur ,
hæc publicantur , & mordicus à quibusdam
defendantur : & tamen non secus ac si nul-
lius momenti essent tolerantur . Non huc
afferam probra illa & contumelias , quas
ille dignus tali Magistro discipulus , ad-
uersus Patres sacrosanctæ Synodi , in ea
Epistola arrogantissem (ne quid durius
dicam) congesit . Arguit enim eos imme-

ratoris audaciæ & petulantis inscitiae , vt
qui cùm se noscerent agud Doctos Theo-
logos minoris esse existimationis, istis no-
uitatibus captarint auram popularium : at-
que ideo non veriti sint facere verbum hac
de re. Quis autem sibi vñquam persuadere
potuisset, fore vt generale Concilium , in
tantum , ac tam seuerum Censorem esset
aliquando incursum ? O me beatum ,
quem non tangit tanta istius viri obiurgatio
ac censura ! etenim ea de re mea fuit non
alia sententia , quām (vt ab initio dixi)
ne tunc ea controversia tractaretur. Spera-
bam enim , & adhuc sperare non desij, ven-
tura pro gloria Virginis feliora tempora,
quando istis rabulis sublata erit tanta arro-
gantia & præsumptio, quam coram Deo, &
Angelis eius iam fœtere non dubito. Et hi
sunt qui aliorum verum zelum mordacita-
tem appellare non verentur , cùm sint ipsi
imperitissimè mordacissimi. Quicumque
enim eam legerit Epistolam , non iam Epi-
stolam , sed censuram grauem , atque irre-
fragabilem sententiam agnoscet. Iste nam-
que Spinæ discipulus , ac repente orbis
Magister , contra vniuersum Christianismum ,
id est , contra cunctas Christiani
orbis Ecclesias , & iam contra cunctos Or-
dines regulares , qui sub hoc nomine, im-
maculatæ Conceptionis illum festiuum
diem solenniter celebrant , & contra præ-

clarissimas Vniuersitates, quæ hanc Virgi-
nis prærogatiuam commendarunt atque
probarunt: iste inquam Magister & Spinæ
discipulus, idem testis, & iudex, & tanquam
sedens non in Petri Cathedra (si quidem
de Petri Cathedræ decretis ausus est iudi-
care) sed gradum superiorem consensu,
securus pronunciat, & sui Magisterij au-
toritate declarat, illud quod colendum
Romana imprimis, & vniuersa iam olim
suscepit Ecclesia, & quod est ab Vniuersi-
tatibus celeberrimis commendatum, & à
populis Catholicis generaliter creditum,
esse præ cæteris (vt eius verbis utar) alienum
admodum à sacris litteris, dissonum
ab Euangelio Christi, & humanum com-
mentum, vanam insuper deuotionem, &
Christianæ Religione indignam, imò etiam
impietatem, ut potè contra clarissima sa-
cræ Scripturæ testimonia.

Hæc & alia huiusmodi plena opprobriis
in ea Epistola leguntur, quæ ut aliquo fun-
damento viderentur consistere, & apud
ignaros aliquam sibi fidem captarent, Spi-
næ sui magistri doctrina imbutus, magno,
horribili, atque impudentissimo mendacio
hoc primum iactat, nos in hoc à nobis af-
ferto tantæ Virginis priuilegio, æqualem
Christo facere Matrem. Quis modò non
videat hunc miserabilem hominem semet-
ipsum suo hoc indicio prodiisse, talèmque

se exhibuisse, qui iure ac meritò valeat cum his annumerari, quos appositissimè illa nota designat Apostolus; *Non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant?* Saltem vel suum hâc parte audissent Caietanum, tantò certè in nos æquiorem, quanto extra controuerfiam ipsis doctiorem. Ipse namque Dominus Caietanus apprimè sciens huiusmodi viros suæ sectæ nimis addictos, & quæstionis statum non apprehendentes, ac supra modum arrogantes, eosdem ut sibi temperare vellent, diligenter & dulciter his verbis præmonuerat: *Et hæc, inquit ille, bene notabis tu Thomista, ne nimio zelo non secundum scientiam, dicas erronea quæ non sunt erronea, cum de B. Virginis Concepcione disputas, aut prædicas.*

Poteram ergo huiusmodi hominum genus optima ratione præterire ac deuitare, postquam tanta iniuria veluti verè Spinæ lacerant quidquid offendunt, sacrûmne sit, an verò profanum, nihil curantes. Verum quoniam isti suam hanc doctrinam, quasi Ordinis doctrinam obtrudunt, & ita esse facilè credi potest, cùm per libros eorum, qui ipsius Ordinis Fratres erant, publicata fuerit, iis saltem tacitè comprobantibus qui eundem regunt Ordinem: idcirco ne eiusmodi opinio ullum faciat sanctissimæ veritati præiudicium (quamquam nihil in eo libro nouum sit quod quidquam mo-

menti habeat aduersus sententiam nostram,
& quod in libris nostris iamdudum editis
non sit idoneè confutatum) ne inquam
propter tanti viri authoritatem queant
multorum corda turbari, Spiritu impellen-
te , omnino necessarium duxi, denuò hanc
totam causam breuiter pertractare , duó-
que Deo fauente efficere. Primum erit
non modò defensio , sed simul etiam de-
monstratio perspicuæ veritatis , de imma-
culata B. Virginis Conceptione: Alterum
ostenso debitæ celebrationis eius diei Festi
à cunctis obseruandæ , qui sub Romana &
vniuersali Ecclesia , se vt vera vnius ca-
pitis membra contineri velint. Hæc verò
libuit in medio Ecclesiæ proponere , & ad
vestram, Sanctissimi Patres, animaduersio-
nem referre. Vos enim vestra prudentia, ac
Spiritu sancto sugerente facile , planèque
perspiciosis, quàm sit indignum , ea ulteriùs tolerare quæ in summorum Pontifi-
cum , & omnium Ecclesiarum non leuem
contumeliam , tam apertè vergant : &
quàm sit nefas atque insolens (vtpotè
contra Ecclesiasticos Canones) & præ-
fertim in diuino cultu à capite membra
discedere. Nam hunc festiuum immaculatæ
Conceptionis diem , sub alio nomine ce-
lebrare , quàm sacrosancta Romana Eccle-
sia , & aliæ cunctæ vniuersi Christiani or-
bis consueuerunt , id quod hic solus Ordo

non tamen vniuersus , sed ex parte facit : quid rogo aliud est , quām Petri Cathedræ derogare , atque ausu temeratio illam reprehendere , & se solos prædicare sapientes ? hoc certè ex recentibus illorum scriptis , ut ex parte audistis , plenis arrogantia , inscitia , & calumnijs satis evidenter educitur. Siquidem , quod sacrosancta Romana & vniuersalis Ecclesia celebrare iā olim certo decreto , etiam cum plenissimo Indulgentiam fauore suscepit , & elapsis aliquot seculis cum magna omnium plebium consensione celebrauit , ambo hi Spinx contra Euangelij veritatem pugnare , & (quod horreo vel meminisse) impietatem atque humanum commentum esse , & inde quinquaginta & octo errores in fide educi ausi sunt falsissimè , atque impudentissimè asserere , nihil verentes Apostolice sedis anathema in Xistinis decretis , in eos pronunciatum , qui huiusmodi blaterarent , aut potius blasphemarent.

Ecce rem ipsam , & quæcumque circa illam differui animo Christiano & candido ad vestram dispectionem ac censuram bona spe defero: causam profectò nī prorsus desipio , minimè ulteriùs dissimulandam , & fortè diutiùs quām præstabat , dissimulatam. Illud ergo vehementer expecto , quod & omnes viri pij & verè Catholici haec de re , & ceteris summo desiderio à vestra pie-

tate desiderant, nempe ut ea vestris sententiis decernatis quæ ad unitatem, & pacem, & decorum vniuersæ Ecclesiæ faciant, & potissimum quæ ad Christi, & ipsius superuenerandæ Matris gloriam & honorem propriùs spectare videbuntur. Scitis enim peculiariter de sanctissima illa Virgine scriptum esse: *sicut lilyum inter spinas, sic amica mea inter filias.* Valete in Domine sanctissimi & obseruandissimi Patres.



DISPV TATIO-

NIS R. P. F. AMBROSII

CATHARINI EPISCOPI

Minoricensis,

PRO VERITATE IMMACVLATÆ

Conceptionis, B. Virginis, & eius
celebranda à cunctis Fidelibus
festivitate ad sanctam Sy-
nodum Tridentinam,

P R I M A P A R S.

*Varios esse modos immunitatis quemadmodum à
morte, ita & à peccato.*

EMMVNITATEM B. Vir-
ginis Mariæ Matris Dei ab Ori-
ginali peccato, quam nos præ-
dicamus, & cum Ecclesia sancta
celebramus, quò facilius eam Lector ab ip-
sis principiis intelligat, sic animo secum
deputet: Quod est mors corporis, hoc esse
animæ peccatum; nam efficienter pecca-
tum quedam mors est: occidit enim ani-

mam. Quot ergo modis dicere possumus,
quempiam immunem esse seu liberum à
morte ; totidem modis possumus dicere,
quempiam esse à peccato immunem siue
liberum. Quæ enim spiritualia sunt per
corporalia commodè nobis indicantur.

Dicitur ergo primo & summo modo
quispiam liber à morte & immunis , qui
non solum non sit morti obnoxius , sed
etiam qui non possit quoquis modo mori,
idque habeat ex sui ipsius natura , secun-
dum suum proprium esse. Talis est unus
solus Dominus noster Iesus Christus qua-
tenus est Deus. Quapropter eminenter ac
singulariter de illo dicitur quod vivit; *Vivo
ego dicit Dominus, Num. 14.* Ac si expres-
sius dixisset: nullus est qui vivat præter me,
qui habeo vitam in memetipso : immo ego
sum ipsa vita , id quod nefas est de illa
creatura dicere. Similiter ergo dicitur de
illo , respectu peccati , quod solus est ma-
xime & singulariter à peccato liber , & so-
lus iustus , bonus , & sanctus. Nam quod
impossibile fit peccare Deum , ipsa pecca-
ti ratio per se declarat. Peccatum enim est
quod contra legem admittitur. At ipse
Deus super omnem legem est : immo ipse est
lex omnium & sui ipsius. Lex enim subdi-
tum presupponit , cui valeat imperare.
Deus autem nulli est subditus , nec sibi ipsi:
alioqui idem esset maior se ipso ac minor,
Deus & non Deus, Dominus & seruus quæ

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 45
sunt impossibilia. Ipse igitur ex te, & na-
tura sua hoc habet, ut sit omnino à pecca-
to, & à morte liber.

Secundo modo consideratur quis im-
munis, seu liber à morte, qui naturam iux-
ta Dei ordinationem & constitutionem ha-
bet indissolubilem quidem: quia nec ab ul-
lo intrinseco principio, nec abulla
extrinseca causa exponitur dissolutioni
aut morti, sed à solo Deo. In hac conditio-
ne sunt angeloi, creaturæ spirituales, qui
tamen non attingunt ad immortalitatem
divinam, tum quia non ex se immortalita-
tem illam habent, tum quod non sint om-
nino suapte natura immutabiles. Omnis
quippe mutabilitas, participatio quædam
est corruptionis aut mortis: idcirò nulla
creatura excellenti & eminenti modo po-
test dici immortalis, sicut ipse Deus. Qua-
propter Apostolus Paulus sapientissimè
immortalitatem soli Deo attribuit aiens:
Qui solus habet immortalitatem. 1. Timoth. 6.
Similiter ergo, alio modo considerantes,
dicimus aliquem à peccato immunem &
liberum, qui sit in eam gratiam prouectus,
ut non solum ab actu peccati, verum etiam
ab ipsa peccandi potentia, fuerit semper
immunis. In hoc gradu constitutus est
Christus, cùm esset in terris etiam quatenus
homo: Et similiter sancti angeli & ani-
mæ iam in felici patria beatificatae. Verum
maximè hoc in loco attendendum est, quæ-

tum adhuc circa hoc intersit inter Christum , & alias creaturas iam beatas. Ipse enim in se habuit , & habet hanc impeccabilitatem, quasi omnino suæ illi naturæ debitam ob summam inenarrabilis illius unionis gratiam , quæ fecit illum hominem esse Filium Dei. Hoc autem facto subito fuit illi debita ista , quæ post Deum summa est impeccabilitatis gratia, non simpliciter quidem secundum quod erat homo, sed secundum quod talis homo : quod de nulla alia creatura dici potest. Et idcirco ipse Dominus solus perpetuo liber & immunis à peccato præ reliquis omnibus creaturis dicendus est , cui hoc propter naturam suam debitum fuit. Quemadmodum enim , in ordine rerum reætè sese habentium nefas erat, atque vehementer absurdum, posse mori Christum de facto ; ita etiam multò magis absurdum, cum potuisse quis modo peccare. Nec quemquam moueat si ille mortuus sit : quia contra rectum à Deo cogitatum ordinem fuit, & ad modicum tempus, vt ordo humanæ naturæ lapsus restitueretur , & maior illi atque illustrior accederet gloria , & qui iam erat Creator, esset insuper & Redemptor, & hoc vt homo. Itaque debita illi personæ immortalitas sublata est atque erepta ab illo (ipso tamen volente) dispensatione summi Patris magnifica : non perpetuo, sed ad modicum tempus, vt diximus, sua-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 47
dente hoc diuina misericordia ad ipsius Christi maiorem gloriam. At quod ipse peccabilis efficeretur, nulla ratio poterat suadere. Nam ad reparationem ordinis nihil penè adiumenti afferre potuisset cum reddi peccabilem (sicut passibilem & mortalem) quin potius plurimum obfuisset. Necessaria enim erat in illo gratię plenitudo, ut posset pro nobis legitimè satisfacere, & grati Mediatoris officio fungi ad reconciliationem. Quamobrem ipse etiam quatenus homo recte dicitur suapte natura impeccabilis: quia illi naturæ omnino debebatur, ut talis ab ipso Deo constitueretur, ex dono singulari, cum esset naturalis Dei Filius homo ille. Hæc igitur est illa Christi immunitas ac libertas à peccato singularis, quam nefas est cuiquam vel hominum, vel Angelorum arrogare.

Tertiò consideratur aliquis à morte immunis, qui et si secundum naturæ suæ principia, habeat ut mori possit, immo ut omnino moriatur: ei tamen datum est ut possit etiam non mori. In eo statu fuit conditus Adam ab initio, & meritò. Hoc enim donum illi naturæ quodammodo debebatur, ut corpus perpetuò animę inserviret, si tamen ipsa anima bene maneret sub Deo creatore suo. Talis ergo modus immunitatis & libertatis à peccato, fuit in Angelis antequam beatificantur; poterant enim peccare, & ita cadere à vita gratię & mo-

ri, sicut & re ipsa quibusdam contigit. Idem fuit & in primis parentibus iuxta naturam illis præstitutam, qui poterant scipios ab omni peccato prorsus seruare, sicut & à morte antequam laberentur in peccatum, si serpentis tentationi reslitissent.

Priusquam vero ad quartum & quintum immunitatis modum à peccato perueniamus, præmittenda sunt quædam, vnde huius controversiæ status, quem isti Spinæ (quorum mentionem in Præfatione fecimus) peruerunt, manifestatur & datur locus luci veritatis, quæ inde oritur. Cogitet ergo primùm acutus Lector, quòd postquam creavit Dominus Deus primum illum hominem, & donis magnis ac pretiosis ornauit, non illum solum respexit, sed in illo & propter illum omnem illius posteritatem, in quam volebat ea dona, quasi hereditario iure pertransire, tanquam ab origine & parente omnium, qui ex eius semine erant processuri. Adiecit tamen legem dicens, *Quacumque die comederis morte morieris*, Genes. 2. Id est, debito & obligatione mortis cum animæ, tum etiam corporis alligaberis, ut eleganter diuus Anselmus, & post illum Beatus Thomas exponit. Non enim subito mortuus est Adam secundum corpus, nec secundum animam expertus est secundam & æternam mortem quam merebatur. Hanc vero legem, si regula eius & rigor attenditur, debuisse etiam ad eius posteri-

posteritatem pertinere, nullus Catholicus dubitat: quoniam eo comedente nos qui in lumbis eius eramus, comedisse censemur, quemadmodum D. Basilius docet, ut utriusque mortis vinculis teneamur obnoxij, nimirum corporis & animæ.

Hic igitur suboritur quæstio, An sub ea lege mortis, comprehensa sit in mente Dei Beatissima Virgo Dei Mater. Aduersarij enim solam illius naturæ conditionem considerantes, illud affirmant: Nos verò gratiam & merita Filij eius Domini nostri Iesu Christi perspicentes contrà afferimus; ita ut liberam illam ac liberatam ab ea lege omnino constituamus. Dico liberam; quia Dominus non conclusit matrem sub illa lege: dico liberatam, quia ne concluderetur favor fuit, prærogatiua fuit, priuilegiū fuit. Alij omnes fuerunt in ea lege conclusi, & ideo contraxerunt debitum mortis in primo parente Adā peccatore. Quod si multi liberati fuerint ab ealege, & suppicio mortis in pœnam peccati, id fuit postquam iam debitum contraxerunt: & ideo sub ira Dei pro aliquo tempore detenti sunt, & sub Diabolo, qui in eos habuit imperium mortis. Has miserandas conditiones euasisse Dei Matrem, singularisque dilectionis Sponsam ac Filiam confidenter magnis aducti rationibus defendimus. Quid enim prohibet Deum Patrem dispensasse cum illa, quam præparauerat futuram Filij sui

genitricem, & (ut iam dixi) singulariter dilectam Sponsam & Filiam? Quid hic responsuri sunt aduersarij? dicturine sunt Deum non potuisse, vt negent omnipotentiam? Aut non voluisse, vt derogent pietati? sed nondum locus est disputationi: sed seruabitur posteriori congregationi. Interim vt status controv ersiae pateat, & latius immunitatem beatissimae Virginis à peccato singularem (vt æquum erat) & nihilo minus post Christum declaremus, ordinem nostrum prosequamur.

Quarto igitur loco asserimus, quòd post peccatum ab Adam in filiis hominum contractum consideratur singularis B. Virginis immunitas, quemadmodum à morte, ita à peccato. Dicemus autem primò de peccato Originali, à quo primùm (quoniam de illo principalis est quæstio) considerari habet immunitas. Cùm enim extra controv ersiam obligatio vtriusque mortis, scilicet corporis & animæ veniat ab eo peccato, quod commisit Adam, quia in illo omnes ita censiti sumus, vt manducante ipso, & ita præuaricante mandatum illud, etiam nos in illo manducasse & præuaricatos esse censemur, & B. Virginem asseramus omnino ab illo peccato immunem, necesse est confiteri iam consequenter ab ea lege exceptam fuisse, & ad quam de facto non pertinuerint illa Domini verba: *Quacumque die comedederis, morte morieris*, Gen. 3. Nam et si

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 51
la censeri debuisset comedisse in Adam, ac
per hoc peccasse, quatenus naturā conti-
nēbatur in illo ex eius semine processura;
attamen Deus noluit illam sub ea lege
concludi, ne esset obnoxia morti siue ani-
mæ, siue corporis, ita ut numquam de fa-
cto moreretur, vel anima, vel corpore pro-
pter illud delictum, videlicet in punitione
tanquam rea illius delicti: quia satis ad
hunc effectum punitum est in Filio, ne ul-
lo modo animam Matris attingeret ob ra-
tiones iam adductas, & alias quæ ex illis
producuntur, quas alio proprio libro fu-
sius exposui & explicaui: nec illis à quo-
quam fuisse responsum video, nec id mi-
rum, quoniam nimis validæ erant.

Non desunt tamen in recta huius facti
apprehensione aliquot dubitationes. Cùm
enim istud à Magistris variè soleat cogitari,
inde efficitur ut facile turbetur cogitan-
tium phantasia: ideoque hæc sunt à nobis
diligenter ac dilucidè explicanda. Dicimus
quod peccauimus in Adam (missam nunc
tantisper faciamus B. Virginis prærogati-
vam) hoc admittitur ab omnibus, quod &
clarè Apostolus testatur. Hinc quæritur
quónam pacto fieri potuit, ut nos pecca-
uerimus, cùm nondum essemus in rerum
natura. Respondetur: Eramus in illo aliquo
modo, hoc est in potentia, & ita conside-
rati sumus in mente Dei: sicut in arbore
sunt in potentia fructus, qui à nobis nondum

53 DISPUTATIO

existentes in semetipsis ita considerantur, ut etiam de illis disponamus antequam sint, attamen pro eo tempore quando erunt, si erunt. Vnde plerumque venduntur in arbore, vel antequam floreat arbor: etsi nullus forte nasceretur fructus, venditio tamen consisteret, si ita placeret contrahentibus. Quia igitur eramus considerati in Adam, & eramus in eo secundum potentiam carnis, viximus & nos illo comedente simul comedere, ac propterea peccare.

Hic ergo incipit questio: An hæc generalis enunciatio Apostoli, *omnes in Adam peccauerunt*, Rom. 5. pertineat ad B. Virginem, ut & ipsa peccauerit in Adam: quoniam pariter erat in illo & comedit. Nos enim alij ob hoc tantum comedisse censemur, ac per hoc peccasse, quia eramus in illo. Questio ergo prima sit, vtrum etiam ipsa comederit, vt quæ in illo pariter existebat, sicut nos alij. Ad quod apparet manifestè responsio assertiva quæ est, quod illa procul dubio non minus comedit quam ceteri omnes, quia illa non minus erat in illo quam essent ceteri. Quod si ita est, infert protinus aduersarius: si comedit ergo peccauit. Huic autem nos audacter respondemus: non sequitur, ô mi frater, ex sola comeditione: non sequitur inquam, comedit ergo peccauit. Fingamus nullam fuisse legem prohibentem comeditionem illam, omnes quidem nihilominus come-

dissimus, eo comedente, & tamen nullus nostrum peccasset, nec ipse quidem Adam: non enim lex fecit nos comedere eo comedete, sed tantum ut ipso comedente nos peccauerimus. Si quis ergo ab ea lege exceptus fuisset in mente Dei, etiam si comedisset nequaquam peccasset. Nos enim non ea solùm ratione peccauimus quia comedimus: sed quia sub ea lege conclusi comedendo præuaricati sumus. Cum enim lex illa posita fuerit ne comederet, & consequenter nobis in illo ne comederemus, idcirco illo comedente omnes & comedisse, & præuaricati esse censemur. At verò quia Mater Dei ab ea legè fuit excepta, etiam si comedit in patre, nō est celsita præuaricatrix.

Verum hic mihi videre videor insurgentem aduersarium & obijcere; Quis te docuit hanc exceptionem? nonne illam fateris Adæ filiam? nonne in eadem causa cum ceteris ut mereatur censeri præuaricatrix? si quidem & illa in primo parente comedit, sicut & ceteri comedenterunt. Respondeo, perspiciebat Dominus Deus fore illam Adæ filiam, sique eam ex se, & secundum huius naturæ conditionem esse iradignam, velut præuaricaticem in patre. Altera verò ex parte vidit illam futuram Christi Matrem, & primariam Sponsam ac filiam: idcirco in gratiam Filij, & propter ipsius Filij præuisa merita, noluit eam respicere in patre Adam præuaricatore; sed

in Filio suo innocentissimo, ac eximio modo suæ Matriæ ac Sponsæ Redemptore, hoc est, ut præseruatore. Nam si illam ut Adæ filiam perspexisset, non secus atque ceteros Adæ filios, inuenisset eam præuaricaticem. Et istud est ad quod aduersarij pertinaciùs obtutum figunt, nec ad ea respicere volunt quæ eorum oculos facile ab hoc tristi spectaculo auerterent. Multò maiores enim & vrgentiores rationes porrigerentur, quibus decentissimum omnino fuisse monstratur, clementissimum Deum Patrem, illam ab hoc casu singulariter præseruasse, ita ut absolute dici non possit illam peccauisse, seu de facto incurrisse peccatum propter præuenientem gratiam, quantumuis iuxta conditionem naturæ suæ debuisset illud incurrire, & inueniri peccatrix. Quod si non potest dici verè incurrisse aut contraxisse peccatum, dicendum est consequenter eam neque ipsos peccati effectus contraxisse, scilicet animæ mortem & corporis. Et ideo in sua conceptione fuit post Christum singulariter immaculata, & à peccato immunis. Si enim non peccauit in Adam, licet conditione suæ naturæ inspecta debuisset peccare, id est, censeri peccasse, consequenter nec illas contraxit peccati eius pœnas, licet pari modo eas inspecta semper conditione naturæ debuisset contrahere: Animæ quidem mortem non contraxit, quoniam nullo unquam mo-

mento fuit anima illa non sanctificata & sancta per Christi gratiam. Nec item corporis mortem contraxit: quia propter illud **Adæ delictum**, hoc est, in pænali illius delicti non est mortua: cui peccato sola mors Christi satisfecit.

Nec istud cuiquam mirum videri debet: quoniam quicumque per Baptismum in Christum ingreditur, à peccato illo Originali omnino redditur immunis, & ab omnini reatu illius peccati, & consequenter à mortis obligatione. Non est enim ulterius debitor mortis tanquam præuaricator in Adam; sed ut seruatus in Christo in hanc moriendi necessitatem, ex novo pacto positus est: quia & Christus innocens prius hanc necessitatem subiit. Quæ certè res digna est consideratione & intelligentia, quandoquidem nonnulli qui diuinarum legum summam æquitatem minus rectè considerant, ubi primum hæc audiunt mox perturbantur, dum nec sensum Scripturarum, nec Doctorum sententias sanè percipiunt. Verum nos quām rectè ista quæ diximus quadrent, post explicatam subsequentem immunitatem patefaciemus.

Quinta igitur & postrema ab eo peccato, sicut à morte immunitas, est cunctorum qui in Christum ingrediuntur per spiritum gratiæ: hi enim omnes cùm non præueniantur à gratia, peccatum dum concipiuntur contrahunt, considerati ut filij primi

prævaricatoris , ac iræ filij constituti , do-
nec & ipsi ab eo peccato liberentur : quo-
rum etiam varia considerari potest immu-
nitas. Nam aliqui , ipsa Scriptura teste , in
ventre matris sanctificati sunt. Aliqui in
natuitate ipsa , vt quidam volunt. Alij ex
vtero recentes , aut post multos dies. Alij
denique aliis variis modis , vt nullus desit
liberationis gradus. Et præter hæc quidam
ampliore gratia : quidam autem minore &
communi , iuxta mensuram donationis Chri-
sti , Rom. 12. Ita vt peccati reliquæ in alio
plus , in alio minus extenuentur ac miti-
gentur. Porrò istud certissimum est , omnes
qui in Christum ingrediuntur , verè ab illo
peccato redi immunes , & ab omni illius
peccati poena , etiam mortis. Nisi verò rem
prorsus iniquam constituere velimus , vt
scilicet maneat poena peccati iam penitus
extincto peccato , & reatu eius : quod de
Originali peccato per Baptismum prædi-
cat Catholica fides. Potest quidem dici ma-
nere poenam , id est , afflictionem , dolorem ,
laborem , & reliqua huiusmodi mala , non
tamen vt sint ultra poena & supplicium hu-
ijs peccati , cuius reatus penitus deletus
est. Nam Christus abundè soluit pro nobis:
relieta sunt igitur (vt beatus Augustinus
eleganter ait) ad exercitiū & meritum , quia
sic & Christus promeruit. Hoc enim qui
non confitetur , blasphemat & contra Do-
ctores , & Scripturas manifestè loquitur.

Sed existunt nonnulli qui ex isto nostro dicendi modo, qui ut dixi non est dicendus noster, sed Scripturarum & sanctorum Doctorum, conturbantur. Primum admirantur a nobis dici de B. Virgine, ipsam ex sua natura obligatam fuisse contrahere peccatum, cum nondum esset in rerum natura, & cum primum inuenta est in rerum natura, inuenta est absque peccato, & sic absque illo debito contrahendi peccatum. Quomodo igitur, inquiunt, hoc debitum fuisse singitur? non enim anteaquam esset: Ergo post: & tamen hoc nos negamus. Quibus nos respondemus, de quolibet homine recte dici eum in Adam peccauisse, cum tamen nondum esset in rerum natura: & inde etiam dicitur, quod obligatus fuit dum conciperetur contrahere peccatum: quae nostra obligatio tunc incepit cum ille peccauit. Eramus enim in patre nostro velut fructus in arbore, qui tametsi nondum sint in seipsis, obligantur tamen a domino suo cum venduntur. Sic & nos conclusi eramus in pacto quod pepigit Deus cum Adam. Propterea B. Ambrosius, dixit quod Adam obligavit totam posteritatem. Alioqui, dicant isti, quomodo Leui decimatus fuit in lumbis Abrahæ? Præterea, Sit testator qui directam libertatem relinquat ex ancilla nascituro. Ille profecto qui ex ea nascetur, erit liberatus cum primum in lucem prodierit. Id vero quo pacto qui numquam

fuit seruus, nisi quia futurus erat seruus, si
eius existentiam ac seruitutem non ante-
uertisset data à Domino libertas? Hæc sane
nimis clara sunt, his qui vel parum velint
rei naturam & æquitatem perspicere, non
autem contendere. Præterea addunt, si erat
obnoxia B. Virgo ut contraheret Origina-
le peccatum: ergo contraxit, si Deus iusti-
tiæ locum suum permisit, nec illam quod
nunquam consuevit violauit. Sed hi non
animaduertunt, non simpliciter à nobis cō-
cedi debitricem fuisse absolutè contrahen-
di peccatum illud: sed dicimus ex condi-
tione naturæ tantum, si illam Deus ut ta-
lem solummodo respexisset, obligatam
fuisse. Quoniam verò gratia in Virgine, Dei
futura Matre superauit naturam, idèo non
dicitur absolutè contraxisse peccatum, ne-
que debitum contrahendi. Non enim tam
erat in illa respicienda natura, quām gratia:
imò propter summam gratiam & priuile-
gium singulare despicienda erat natura. D.
Hieronymus cùm hanc sanctissimam Vir-
ginem exaltatam esse super choros Ange-
lorum prædicaret, ne quis illud miraretur
adiecit: Hoc priuilegium non naturę, sed
gratiæ B. Mariæ Virginis, de qua natus est
Deus & homo. Idcircò & ipsa plus meritis
est quām Virgo & homo. Hoc ipsum nos
accommodamus in re proposita.

Reperiuntur item infirmi & ignari my-
steriorum qui nesciunt sese explicare, cùm

audiunt sublatum eisē peccatum in Baptis-
mo, & consequenter debitum mortis ab il-
lo peccato : & nihilominus vident Christianos
omnes & sanctos mori , idque ex
debito. Conturbantur enim , quia non vi-
dent vnde nascatur hoc debitum. Itaque si
rem totam clare capere velint in hunc mo-
dum cogitare debent. Peccauit primus pa-
rens Adam , & obligatus est mori. Quo-
niam verò etiam nos in illo peccauimus,
similiter contraximus debitum mortis. Ve-
nit Christus sinè peccato , qui cùm nullum
haberet mortis debitum, quod peccatum ip-
sum deleret, & mortem moriendo destrue-
ret, subdidit semetipsum morti. Mors ergo
quæ iniustè ius in illum innocentem exer-
cuit , meritò ius suum in eos in quibus il-
lud habebat perdidit, modò veterem homi-
nem exuant , & nouum induant creatum
in iustitia & sanctitate , nempe Christum,
per quem ab illo mortis debito liberentur.
Nam etsi postmodò moriantur, ex peccato
non est, quasi non sit illi peccato per om-
nia satisfactum : sed quia liberati à debito
mortis quod à peccato conflatum est , in
Christum ingressi nouum in eo moriendi
debitum contrahunt. Nam & quicumque
in illo sunt iam absque peccato, nihilomi-
nus mori debent, non quidem ut mors sit
ulterius poena ex illius peccati merito , sed
exercitium patientiæ in fide ad comparan-
dum meritum , ut sint membra capiti suo

familia; etenim Christus ipse caput nostrum absque peccato gustauit mortem , & per eam promeruit vitam , qui & nobis eandem legem præstítuit. Decuit certè ut & nos assimilaremur ei (quatenus fas erat) liberati à peccato , cùm ipse similiter per omnia assimilatus sit nobis, absque peccato tamen, & ab eo omnino liber existens, tantum peccati debitum propter nos in semet-ipsum assumpsit. Aliud ergo est morti subiungi in Adam , quod est pœnam peccati sufferre : aliud verò mori in Christo, quod est potius subigere ipsam mortem, ut post eius gustum excitemur ad veram vitam. Vnde scriptum est: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14. Somnus enim interim & dulcis sopor est potius , quam mors morientium in illo.

Quantum igitur ad mortis debitum attinet, magna est inter nos , qui sumus in Christo, & illos qui fortis sunt differentia. Debemus quidem & nos mori quemadmodum illi, sed non est par & eadem causa. Illi tanquam pœnae huius debitores ex peccato antiquo moriantur. Nos autem alioqui mortales natura , hoc debitum nouo pacto contrahimus , quo conformemur Filio , qui conformatus est nobis. Quamuis enim huius noui pacti ratio venerit à peccato, ut istud quodammodo sit pœna eius, nimisrum pactum nouum redditum esse durissimum, in quo nec à morte , nec à mul-

tis malis inuenimur immunes , sed cedunt nobis in bonum, non propterea tamē propriè ac verè dici possunt in renatis poena peccati. Alias cogeremur fateri vel non esse deletum peccatum illud per Christum, & eius omnem reatum in renatis (sicut impiè Lutherani docent) vel posito quòd est deletum omnino peccatum & omnis reatus, cogeremur confiteri iniustum Deum , qui à nobis exigit peccati poenam , nullo peccato , nec eius reatu existente : quod est horrendum vel cogitare.

Magna etiam differentia est circa hoc debitum inter Christum & Matrem ; & inter Matrem & nos alios. Ille enim ut ex se ipso innocens erat, & iuxta suam naturæ conditionem omnino liber à peccato , ita liber à debito mortis. Quòd ergo morti se subdidit , fecit ob solum obediendi paternæ voluntati desiderium : ut sic destrueret mortem, eamque præcipitare, in sempiternum. Maria verò non erat ex se ipsa secundum naturæ suæ conditionem à peccato libera , ideò nec à morte ; sed liberata est ab utroque per Filium ; ita tamen ut neque peccato , neque morti quatenus erat poena peccati , unquam fuerit de facto subiecta. In instanti namque suæ conceptionis commutata est illi conditio debiti: quoniam facta est debitrix mortis in Christo semper ut innocens : numquam autem in Adam ut rea delicti quouis modo. Et hoc

singulariter ad illam pertinuit, propter excellentem illius redemptionis modum, quo per Filium redempta est. De qua redemptione erit nobis inferius sermo vberior.

In hoc ergo ceteros Adæ filios, vt par erat, superauit, quod in ea cōmutatum est mortis debitum, non ut aliquando debitrix inueniretur, sed ne debitum illud ullo umquam temporis momento contraheret, quod tamen contrahere de rigore iuris debuisse. Ipsa igitur Christi Mater, mortua est morte sua illa mitissima tamquam ab ipso redempta, & in ipso primum insita & collocata velut verè primum corporis & nobilissimum membrum, quod à se numquam passus est Filius separari. Et sicut oportuit Christum mori & statim resurgere: sic voluit etiam de B. Virgine Matre, vt confestim & ipsa resurgeret, non expectans postremum iudicij diem. Hoc tamen est discriminis, quod Christus ipse sua virtute surrexit & semetipsum assumpsit in gloriam, vt in cœlum, ubi semper fuit rediret. At B. Virgo non à se ipsa surrexit, nec semetipsam assumpsit, sed à virtute Spiritus Filij sui, & ab ipso Filio assumpta est comitantibus angelis ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum, stellato sedens folio, assistentibus omnibus beatis spiritibus coronauit eam Reginam cœli, mundi Dominam, amicorum spem & solatium, inferorum terrorem. Nam ei post Christum, & per

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 63
Christum tanta est data potestas , quantam
non credit qui serpentis est semen. Sed ipsi
dæmones qui vident & supramodum liuidi
sunt, vehementissimè torquentur, formi-
dant & contremiscunt. Hæc de Domina
nostra confidenter asserimus & docemus,
edocti ab Ecclesia sancta Dei, quæ hæc ip-
sa prædicat & veneratur.



REFELLITVR PRIMVS ADVERSARI
riorum zelus falso existimantium , Ma-
trem ob id Christo æquari , quod
immunis ab originali
peccato asseratur.

HIS ergo sic explicatis , ad hos no-
uos disputationes , & Spinæ , &
quicunque illos sectantur sermo
noster iam conuertendus est: non quidem
contra Ordinem , vt quidam carnaliter ar-
bitrantur , sed omnino in gloriam Ordinis
& fauorem. Scio enim esse in illo gloriosissi-
mo Ordine qui diligunt veritatem , cùm
que agnoscunt & libenter amplectuntur.
Sunt & qui cùm nondum illam agnoscant
vellent tamen agnoscere , & libenter quo-
que sectarentur : sed verentur interim ne
contra Sanctorum doctrinam quidquam
admittant , quorum numerosum sibi cata-
logum vident à suis Magistris propositum,

qui visi sunt alteram positionem probare. Itaque trepidant & timent timore, vbi vere iam nullus timor. Excusantur tamen, & si quid aliter sapiunt quam habet veritas, aliquando scient & ipsi, modò scire desiderent, & sibi aperiri veritatem citra impeditam affectionem orent. Restat igitur ut in huiusmodi Magistros, ac Spinas, non quidem propter illos, sed propter alios sermonem meum instituam: præsertim vero ut respondeamus iis quæ ex Turrecremata tanto conatu innouarunt.

Quæro primū ab eis: Quid, obsecro, in hac nostra positione continetur, quod vos tantopere exagitat? Ecce clamatis: *Zelus pro Christo: zelus pro Matre: zelus pro Scripturis: zelus pro sanctis: zelus denique pro Ecclesia Dei:* Et cum sint tam numerosi ac potentes zeli, mirum tamen neminem ad tot clamores moueri. Certè mirabile ac miserabile hoc, modò zeli isti vestri essent secundū scientiā. Tentemus ergo, num sint tales, qui iure quemquam mouere debeant.

Ostendite iam nobis zelum primum. Quid est cur sic ardenter zelatis pro Christo? Ecce obijcitis: *Æqualem facitis illi Matrem.* Parcat vobis Deus. Hocne explicitè fatemur nos: an vero id vos ex nostra positione colligitis? Nonne exerte prædicamus oppositum? Ex his enim quæ asservimus, quanta vi velitis ea comprimatis, non aliud exprimetis, nam quo pacto æqualem

Christo

Christo Matrem facimus? Respondetis:
Qvia vos immunem illam ab Originali
 peccato constituitis, quod fuit solius Christi. At, quæso, nōnne baptizati omnes im-
 munes redduntur ab illo peccato? Num-
 quid igitur propterea pares Christo fiunt
 in hac ratione immunitatis à peccato? &
 numquid vos confitemini cum reliqua Ec-
 clesia, sacræ Virginis corpus non vidisse
 corruptionem? Hoc tamen de Christo sin-
 gulariter scriptum est: *Non dabis sanctum*
tuum videre corruptionem. Cur ergo non ad-
 uertitis, ô doctissimi cunctorum mortalium
 (eos alloquor qui sibi ipsis tales esse vi-
 dentur) bifarium peccare argumentum ve-
 strum? Non enim si in aliquo conuenimus
 cum Christo, continuò sequitur nos sim-
 pliciter æquales illi esse, alioqui omnis
 homo illi esset æqualis, quia & ille fuit ho-
 mo. **Q**uod si dicitis: Saltem in hoc articu-
 lo immanitatis à peccato facitis Virginem
 parem Christo? In hoc etiam plurimum
 aberratis. Nam iuxta id quod vtriusque
 proprium ponimus, in immensum certè
 distare libertatem Christi à peccato, ab im-
 munitate B. Mariæ iam declarauimus: quod
 secundum diuinam naturam extra contro-
 versiam est. Non enim propriè immunis
 Deus dici potest à peccato, cùm propriè
 in eo dicatur immunitas, in quo datur eius
 oneris saltem potentia, à quo onere præ-
 dicatur, immunitas. Deus autem omnino

66 D I S P U T A T I O

ab eo onere liberrimus semper existit. Secundum verò humanam naturam , nec etiā propriè à peccato immunis dici potuit Christus, à quo velis peccati genere , vel ab Originali , ad quod incurendum nec fuit vlla potentia. Non enim per viam seminalem ab Adam peccatore (quo modo peccatum contrahitur) ille propagatus est: quod totum est nefas asserere de Matre sua, quam ingenuè confitemur, ex se, ex suapte natura utpote Adæ filiam per modum seminis , debuisse illud peccatum contraheret & reuera contraxisset , & consequenter alia quoque peccata actualia , nisi Deus in gratiam Filij sui benedicti ex merito Passiōnis illius eam præseruasset. Hoccine igitur est & quare Matrem Christo? Parcat item vobis Deus, qui hanc nobis calumniam per hunc tam sanctum zelum vestrum summa iniuria gratis inuritis. Quis enim nisi prouersus amens , arbitretur ea esse paria , quæ de Filio & quæ de Matre prædicamus? De Filio dicimus nec incurrisse, nec incurtere peccatum illud potuisse , idque iure proprio , & ex propria naturæ suæ conditione. De Matre autem dicimus non solum illam potuisse , sed etiam debuisse ex conditione suæ naturæ incurtere omne peccatum. Non incurrisse autem asseueramus ex gratia & priuilegio , idque in gratiam Filii; & propter eius merita, vt sit ipse non solum semper liber, sed omnium ac præcipue

suæ dilectissimæ Matri potentissimus liberator. Qui igitur arbitratur hæc paria esse & æqualia, mente indiget, non redargutio, ut zelo coniungat scientiam, non calumniam. Hæc enim adeò dilucida sunt, ut nequeat ullus, nisi cuius prauè affectus fuerit oculus in hac luce meridiana allucinari. Sed pergamus & iterum istum eorum zelum examinemus.

Additis in eodem zelo, à nobis negari Christum esse suæ Matris Redemptorem. Et hic iterum parcat vobis Deus, qui rursus hanc nouam calumniam tam insignem, & quam manifestissimam zeli nomine obtenditis, cum maximè clara & aperta voce prædicemus Filium non solum suæ Matris Redemptorem, sed præcipuo, eximio, & singulari modo Redemptorem. Vos autem quo pacto ex nostra positione oppositum colligitis? Ecce dicitis: si non contraxit originale, nec facta est captiuia, non indiguit redemptione: & nos dicimus, hoc ipso quod seruata est, ne peccatum illud contraheret, quod alioqui contraxisset, fuit eius redemptio multò quidem nobilior; unde & Filio & Matri multò maior honor accedit & gloria. Respondete mihi obsecro, dum claram hanc vobis similitudinem propono. Est homo accinctus eam viam pergere ubi latrones grassantur & captiuus omnino futurus si eam viam ingrediatur. Venit amicus qui ut ab eo periculo exime-

ret, ab ea via illum diuertit, & in aliam securam ac tutam deduxit. Quis vestrum compos mentis, negaturus est eum hominem, per amicum illum esse redemptum ac liberatum a captiuitate, non quidem incursa, sed incurrenda? Aut quis affirmabit eum minus sic fuisse redemptum; quam si in manus latronum iam peruenisset, & spoliatus, ac vulneratus de illorum manibus ab amico esset ereptus? si hoc vestrum quisquam velit defendere, non a zelo Christi; sed a zelo & spiritu contentionis & contradictionis moueri se nouerit, non dignus ulterius cum quo ullus homo sanus disputet. Nam ob istam causam Caietanus ne deriderentur Fratres nostri Ordinis, hanc ipsorum miseram fallaciam & falsum zelum, & (quod animaduertendum est valde) ex Beati Thomae doctrina his veridicis verbis corripere studuit: Si peccatum Originale, inquit ille, vel in actu, vel in necessitate habendi illud, quis non incurreret, non egeret redemptione, quod haereticum esset dicere. Sed si omnes obnoxij sunt peccato Originali ex ipsa sua generatione, sufficit ad indigentiam redemptions. Neque enim solùm redemptione eget actualiter captiuus, sed etiam obnoxius captiuitati. Et haec bene notabis tu Thomista, ne nimio zelo, non secundum scientiam accusus, erronea dicas quæ non sunt erronea, cum de Beatissimæ Virginis Mariæ conce-


ptione disputas, aut prædicas. Hæc ille in
suos, ab ipsa vi dilucidæ veritatis coactus,
Conqueror in nouis Lugdunensium im-
pressionibus subdolè à nescio quibus teme-
rariis sublata fuisse ex Commentariis Caiet-
tani primum illa verba : *Ex ipsa sua genera-
zione*, quæ ad declarationem nostræ posi-
tionis primum faciebant. Deinde totum il-
lud : *Et hæc bene notabis tu Thomista, & cæte-
ra quæ citauit.* Zelus Spinarum fecit hoc :
quia recusat agnoscere veritatem, nec vel à
suis vult admoneri. At nimis potens est
veritas. Non enim solummodò Caietanus,
sed Durandus etiam nostri Ordinis vir-
acutus & resolutæ doctrinæ , et si de princi-
pali quæstione aliter censerit quam nos,
propter illam temporis conditionem, quā-
do hæc veritas nondum reuelata erat per
Ecclesiam; in hoc ipso tamen articulo no-
bis fauet etiam ipse à conspicua veritate
victus. Certissimè enim vir acutus animad-
uertit maiorem esse ac longè optabiliorem
redemptionem, qua captiuitas prohibetur,
quam sit illa qua iam incursa captiuitas sol-
vitur. Verba Durandi hæc sunt : Cùm er-
go B. Virgo esset seruituti peccati Origina-
lis obnoxia in sua radice, scilicet in pa-
rentibus, si fuit impedimentum virtute di-
uina , ne in se seruitutem hanc incurreret,
vt esset conuenientior Mater Saluatoris ,
verè potest dici quod indiguit beneficio re-
demptionis , & tanto magis & familiarius

fuit redempta, quaatò redemptio fuit in ipsa celerius inchoata: hæc ille. Et in ipsa conclusione: Puto tamen, inquit, quod si B. Virgo peccatum Originale non contraxisset, potuisset tamen verè dici redempta à Deo, pro eo quod in radice sua ex natura suæ conceptionis obligata erat ad incursum peccatum, nisi fuisset à Deo præseruata. Hæc Durandus pro dicto nostro: quæ si quis negare non vereatur, dignus est tanquam contentiosus qui in suis inscitiae tenebris inuolutus dimittatur captiuus.

Hæc tenus ergo satis patet iam non esse zelum pro Christo, sed meram calumniam disputantium, qui nos falsò arguant æquare Filio Matrem, & illum eius esse Redemptorem negare, cùm oppositum tam clarè pateat, vt nullo queat obumbrari colore, nec indigeat ostensione. Nam dum illam seruatam dicimus à Deo, alioqui subituram peccati labem ac seruitutem: & è regione Filium asseueramus per se liberum, nullique expositum periculo captiuitatis, sed potentem ad eruendum omnes ab illa, hoc ipso testimonio manifestè consitemur in hac substantia gloriæ longè illam inferiorem fuisse & esse Christo, & cùm illam per Christi merita, & immensum sanguinis pretium asserimus præseruatam, continuò Filium eius non solùm ante illam immunem à peccato, nec solùm Redem-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V.
ptorem, sed eximum etiam Redemptorem illius prædicamus. Quod certè est magnificentissime extollere opus redemptionis, non autem extenuare. Nam quidquid prærogatiæ præ aliis circa peccatum Matri tribuimus, ita sub Christi prærogatiua constituitur, ut etiam à Christi prærogatiua descendere confiteamur. Ex quo miro facto multò maioris gloriæ pondus assignatur vtrique, sed præcipue ipsi Filio, quem pro sua charissima Matre excellentiorem ponimus Redemptorem, quam illo excellentissimo modo redemerit. Non æquamus ergo Virginem Filio ullo pacto. Nam dum illam minimè cecidisse asserimus, non id eius naturæ attribuimus, sed diuinæ benevolentiaæ, Christi gratiaæ, ac meritis ut semper emineat ipse cuius stat verissima illa sententia: *Beatus est magis dare, quam accipere*, Act. 20. Et hoc ipse videt Caietanus vester, & testatum vobis reliquit, videlicet hac nostra positione Virginem ipsi Filio non æquari, sed sub illo in eminentissimo gradu constitui, quemadmodum suo loco iterum de eius Commentariis ostendemus. Aliud autem esset, si fortè id quod nos ponimus inficiaremur esse verum. Satis est nobis hactenus iam contra vos obtinuisse hanc nostram positionem, si vera sit, (ut certè existimamus) minimè derogare excellentiaæ Christi, eiusque redemptioni: sed prorsus è conuerso,

plurimum eam magnificare: Imò quod erat
 æquum , & illo dignum eidem tribuere.
 Evidem si amoto illo vestro affectionis
 velo , parumper ad lucem veritatis velletis
 aspicere, planè perspiceretis, id quod in nos
 à vobis iniuria obijcitur , videlicet Filio
 nos derogare, vobis propriè ac summope-
 rè conuenire. Vestra enim positio verè talis
 est, quæ derogat illius maiestati & gloriæ,
 cui summum redemptionis modum , sal-
 tem erga ipsius Matrem sicut deceret, non
 tribuit. Et hæc satis de primo horum ho-
 minum zelo pro Christo.



OSTENDITVR FALSVS ADVERSARIORUM ZELUS PRO B. VIRGINE.

REQUIRENDA est nunc ab
 iis scientia in secundo ipsorum
 zelo pro Matre, quo mirificè se
 incensos videri volunt. Dicite ergo nobis
 vos , ô Zelatores Matris Dei, quanam de
 causa nos illi derogamus: vos autem potius
 ipsam effertis studentes illius honori &
 gloriæ? Num propterea, quæso, derogamus,
 quia dicimus à peccato illam per Christum
 præseruatam ? Et vos è conuerso , illam
 præhonoratis qui peccato eam cum ceteris
 gregatim contaminatam fuisse sustinetis?
 reperiuntur enim qui adeò insaniunt , ut

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 73
eos non pudeat talia proferre. At quis sa-
piens dignetur ullam disputationem cum
eiusmodi hominibus suscipere, quibus pec-
casse dignitas est & fauor?

Sunt & qui aliam stropham commenti
dicunt : Si Virgo sine peccato inuenitur
concepta, iam dabitur alia mulier sine pec-
cato concipiens , nimis Anna Mater.
Non ergo erit singulare Virginis sine pec-
cato concepisse. Quod si conceditur, non-
ne est eius gloria detrahere? Argutula pro-
fecto obiectatio : miror autem quomodo
non etiam aliam consequentiam superin-
duxerint , etiam Annam ipsam à nobis
æquari Christo , idque demonstratione
Mathematica. Nam quod est vniæquale ,
etiam alteri æquale esse oportet , cui illud
vnum sit æquale. Si ergo Anna æquatur
Virginis , & Virgo Christo : ergo & Anna
Christo.

Sed extra iocum, hæc argumenta futile
despiciens satis arbitror demonstratum es-
se, non solùm ex nostra positione non deroga-
ri dignitati Christi , sed quod ei debetur
prorsus tribui : nec ei beatissimam Virgi-
nem æquari , sed longissimo postponi gra-
du. Et ex his clarissimum parumper cogi-
tanti redditur , nec ipsam Annam æquari
Virginis, sed longè inferiore gradu relinqui.
Anna enim non immunis fuit ab originali:
at Virgo fuit. Anna Matrem Dei concepit:
Virgo ipsum Deum. Anna sterilis ex viro

74 V. E. T. DISPUTATIO
concepit Virginem, Virgo autem ex Spiritu
sancto Redemptorem. Anna fuit Mater
eius, quæ natura subdebatur peccato: Virgo
Mater fuit eius qui per omnia liber à pec-
cato, omnium extinxit peccatum, ut saluum
maneat testimonium Scripturæ dicentis,
virum de mille unum reperi. Eccl. 7. Nam vt
rectè ipse B. Thomas exponit hoc Viri sin-
gulare declaratur, id est, Christi, qui solus
fuit salutis omnium principalis autor, non
mulier aliqua. Hoc enim (vt idem B. Tho-
mas rectè docet) singulare & proprium
Christi fuit habere talem plenitudinem,
quæ redundare posset in omnes: *De eius*
plenitudine, ait magnus Præcursor, *omnes*
aceperimus. Ioan. 1. sed B. Virgo talem ple-
nitudinem accepit quo esset propinquissi-
ma authori gratiæ. Esto igitur ipse Chri-
stus per nos & sententiam nostram primus
author gratiæ, non Maria. Verùm huius gra-
tiæ sit illa particeps prima, & modo sum-
mo ab omni seruata peccato, ut sic fiat
propinquissima Filio; alioqui non plenè
suam veritatem assequitur B. Thomæ do-
ctrina pro Matre Dei, si ab hoc loco & gra-
du gratiæ, qui est post Christum, & eidein
propinquissimus excluderetur. Non est igi-
tur hoc æquare Virginem Christo, aut An-
niam Virgini, id est, Redemptori redem-
ptam, & præseruatæ non præseruatam. Il-
lud verè est illi derogare, non concedere
cum meliorem pro Matre sua Redempto-

rem. Si enim est illi gloria & honor in redimendo, quis negare audeat quin in sublimiore redemptionis modo maior quoque gloria & honor illi accederit?

Scio dicturos hoc de Anna commentum à D. Bernardo se accepisse: sed non ita Sanctus ille Doctor desipuit. Ex suppositione quippe contra illos loquebatur, qui putarent B. Virginem esse de Spitiū Sancto à matre sua conceptam. Tunc verè singularis illa B. Virginis prærogatiua matri suæ Annæ communicaretur: quod est omnino nefas admittere. Vnde apparet hac parte argumentum contra nos non intendi, simulque B. Bernardi mentem aperiri minimè in nos arguentis, qui apertè fatemur communione omnium modo fuisse conceptam, & nihilominus à peccato per præuenientem gratiam præseruatam. Sed eos reprehendebat, qui dicerent non ex semine, sed ex Spiritu Sancto propagatam, & propterea nullius redemptionis per Christum indigam: quæ tantum abest ut nos asseramus, vt contrà non secus ac meras blasphemias omni anathemate dignas repellamus. Veniat ergo nunc alias fratrum nostrorum zelus, postquam priores pro Christo, & Matre iam euanuerunt.

REFELLITVR ZELVS PRO
Scripturis, quæ potius pro Virginis præ-
rogatiua faciunt.

ERAT tertio zelus, quo pariter misericordia ardēt pro Scripturis Sanctis, vbi solus Christus singulariter dicatur innocens, & sine peccato, ut qui venerit ad tollenda omnia peccata. Unde magnus Ioannes ; Ecce, inquit, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Ioann. i. Quam obrem hoc in loco pro veriore ac profundiore Scripturarum intelligentia, & ut paucis apparent omnia argumenta resoluta, audiant, quæso, patienter.

Quæcumque de Christo dicuntur in Scripturis sanctis ad demonstrandam eius bonitatem, iustitiam, pietatem, munditiam, sanctitatem, charitatem, & omnino quæcumque in illa persona significant distantiam & immunitatem à peccato, eo debent intelligi modo, quo hæc illi singulariter conueniunt. Hanc positionem nemo nisi stultus, & prorsus ignarus negare potest. Ecce, dixit ille adolescenti, Quid me dicitis bonum? Solus Deus est bonus. Vbi docere voluit Deo singulariter (qui erat ipse) bonitatem conuenire. Nonne & se ipsum singulariter vocavit bonum Pastorem, & ta-

men multi homines boni dicuntur, & pastores boni. Ipse item licet alij multi iusti dicantur, excellenter tamen & singulariter iustus dicitur, quia excellenti & singulari modo fuit iustus. Vnde & beatus Paulus de illo: *Vt sit*, inquit, *ipse iustus & iustificans*, Rom. 3. Quamobrem & substantiuè sape numero vocatur ipse iustus, vt apud Ieremiam: *Et hoc est nomen quod vocabant eum Tetragrammaton iustus noster.*

Sic iple solus pius dicitur in Apocalypsi, c. 15. *Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum*, quia solus pius es? De illo etiam singulariter dixit Angelus sanctissimæ Virgini, Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum*, ob singularem siue nativitatis suæ, siue conceptionis sanctitatem: quoniam utrque fuit singularis à Spiritu Sancto custodiente vas illius B. Virginis sanctum, in quod Sanctus sanctorum illibatissime ingressus, etiam illibatissime Spiritus sui virtute exiuit. Sic & ipse mundus dicitur, & ex semine mundo solus conceptus, Job. 14. qui noluit ex eo venire quod mundari oporteret, sicut inde ipsa venit beatissima Virgo; præueniente tamen gratia Dei in ipso Matris utero mundatum est, vt ex illo sancta conciperetur. Hæc emundatione non indiguit superbenedictum Christi semē, sed singulariter sanctus prodiit, de quo dictum Job cap. 25. intelligimus: *Et stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, Quapropter singu-*

lariter de eo concinimus: Tu solus sanctus,
 sanctitas enim munditia est, & propterea ille
 solus potuit facere mundum de immundo
 conceptum semine. Hoc autem fecisse in
 beatissima Matre sua singulariter ante om-
 nes minimè dubitamus, ut verè conceptio
 illa sancta esset & immaculata. Ipse Domi-
 nus singulariter sanctificatum se à Patre
 pronunciauit, Ioan. 10. *Quem pater inquit,*
sanc&ificauit. Per gratiam enim unionis fa-
 cetus est homo Deus, quæ sanctificatio gra-
 dus fuit altissimi, ut maior ex cogitari non
 possit, propter quam singulariter Filius
 Dei dicitur, cum alij multi sint filii Dei.
 Ob eam causam tanquam singulariter illi
 dictum accepit Apostolus: *Filius meus es tu,*
ego hodie genui te. Heb. 1. & iterum. *Ego ero*
illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Si-
 militer & in baptismo: *Hic filius meus dilectus*
in quo mihi bene complacui. Mat. 3. Et tamen de
 alijs scriptum est: *Ego dixi dij estis, & filii*
Excelsi omnes: &, Quoniam complacuisti in eis.
 Sic se dixit lucem mundi, lucem veram
 singulariter: Quod tamen etiam dedit dis-
 cipulis, de quibus dixit: *Vos estis lux mun-
 di.* Luc. 12. & nos qui sumus adoptati, lux
 dicimur sed in Domino, Ioan. 13. qui eius
 comparatione tenebrae sumus, in quibus
 tamen ipse lucet. Vnde scriptum est de illo:
Speciosior est sole, & super omnem dispositionem
luci comparatus inuenitur prior. Sap. 7. Et B.
 Ioannes ait; *Et in eo tenebra non sunt illæ.*

Ioan. 1. Quia propter se vnicum Magistrum affirmat: *vnuſ eſt*, inquit, *Magiſter vſten Christuſ*, Matt. 3. cū tamen ſint multi magiſtri. Sic ipſe ſingulariter, *innocenſ dicitur*, *impollutus*, *ſegregatus à peccatoribus*, ac per hoc *excelsior cælis factuſ*. Heb. 7. Quæcumque enim habet, *excellentiū & per ſe habet ex debito naturæ & conditionis ſuæ*: quia eſt Filiuſ Dei natura. Quocirca de quolibet alio mortalium dictuſ eſt: *Nulluſ apud te per ſe eſt innocenſ*. Exo. 24. Soluſ inſuper ſinè peccato à quo quām longiſſime ſemper non ſolum abſuit peccati actuſ, verū etiam ad peccandum potentia & debitum. Longè itaque antecellit beatissimam Virginem, in qua & potentia erat, & debitum contrahendi peccatum, conſiderata naturæ conditione. Et iſtud eleganter & verè expreſſiſ B. Anſelmuſ aieniſ; Decebat illam Virginem, ea puritate nitere, qua ſub Deo nequid maior inteligi. Sic gloriouſus Doctor noſter D. Thomas exponit. Puritas intenditur per reſefsum à contrario: & ideò potest aliiquid creaturom inueniri, quo nihil purius eſſe potest in rebus creatiis, ſi nulla contagione peccati fit inquinatum. Et talis fuit puritas beatissimæ Virginis, quæ à peccato Originali & actuali immunis fuit. Fuit tamen ſub Deo in quantum in ea erat potentia ad peccandum: Hæc ille. Idem & noſ decemus, & hanc illi tribuimus puritatem.

quæ sub Deo est. Cur igitur molesti sunt Spinæ huic candidissimæ mulieri, nec fateri volunt hanc sententiam ab ipsorum Doctore B. Thoma aliquando fuisse probatam, quod neque Capreolus omnino negare est ausus, neque Caietanus? Nimis certè potens est veritas.

Stat ergo cum hac Matris Dei prærogatiua singularitas sanctitatis Christi, & immunitatis à peccato, si tamē immunitas dicit propriè potest. Imò vero ausim dicere sine hac Matris Dei prærogatiua vix stare posse prærogatiuam Filij. Quin etiam clare & audacter dicam, non stare illam Filij prærogatiuam, quæ habet potentiam sanctificandi, de cuius plenitudine omnes accipimus, nisi ponatur hæc Virginis prærogatiue per illum. Quæ enim fuisse in eo ad sanctificandum plenitudo, cui defuisse summus sanctificationis gradus? An, rogo, non valuerit sanctificare in eum gradum quasi minus potens, vel noluerit quasi minus bonus suæ Matri illud impendere, quod saluo suæ dignitatis gradu poterat quam decentissimè tribuere, & proprijs meritis imputare?

Ecce ergo quam facile vno, & illo quidem solidissimo verbo resolutur quod primum de Scripturis sanctis adducunt pro Christi singulari prærogatiua, vt excludatur B. Virgo: quoniam & nos illam ab ea Christi singularitate absque vlla hæsitatione excludimus

excludimus nam quæ adoramus in Filio,
absit ut eadem Matri illius attribuamus : &
econuerso, quæ confitemur in Matre , ab-
sist ut concedamus in Filio. Concederemus
enim in illo contrahendi peccati necessita-
tem ex conditione naturæ : quod esset blas-
phemia. Differt ergo quantū ad sanctitatem
attinet & peccatum. Et quidem multū
differt immaculata conceptio, & nativitas,
& sanctificatio Christi ab immaculata Ma-
tris conceptione, & nativitate, & sanctifica-
tione: sicut & tota vita , & mors , & resur-
rectio , & ascensio Christi, & fessio ad dex-
teram. Ipse enim solus , ut ait B. Augu-
stinus , imò B. Paulus, est sacerdos in æter-
num , & sacrificium , & templum Dei ,
sed singulari modo. Nam & hæc de alijs e-
tiam verè , sed tamen longè inferiore gra-
du, & modo prædicantur.

Occurrunt autem nobis hoc in loco dis-
putatores isti accerrimi, asserētes falsum esse
quod dicimus , Christū naturā immunē esse
à peccato: si enim natura inquiunt, ergo non
gratia: oponi quippevidetur natura & gratia.

Quibus primū respondemus , vt ani-
maduertere velint ne imperitè blasphemēt.
Nam si Christus negatur naturā à peccato
immunis , concluditur profectò sub illa
generali sententia : *Eramus omnes natura
filij iræ*, Eph. 2. quod est blasphemum in Fi-
lium Dei: Intelligat ergo prius quem sensum
porrigimus & defendimus , & tum demum

liberè arguant. Prædicamus Christum ab Originali immunem naturā, idest, ex conditione suæ conceptionis: Quia non solum non est conceptus ex semine (quod satis esset ne Originale contraheret peccatum) verūm etiam quòd ex Spiritu sancto conceptus est. Nec id solum , quia nec sic fuisse inhabilis ad peccandum, verūm etiam , quia ex ipsa conceptione per gratiam unionis naturarum factum est , vt ille homo esset Filius Dei naturā, non adoptione. Propterea concedendum est fuisse illi naturæ debitam omnem à peccato libertatem , vt ita verè dicatur naturā liber : Quod singulariter ad illum pertinet. Vnde B. Augustinus in Enchir. cap. 40. vt nos istud doceret dixit : Modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto , insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis in exordio naturæ suæ quo esse coepit , Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, vt idem esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis qui Filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo illa gratia illi homini naturalis , quæ nullum peccatum possit admittere: Hæc B. Augustinus.

Et B. Cyrillus ait : Illud non abs redixerim : Si enim amicitia filij , qui serui naturā sunt , ad liberam amicorum dignitatem perducit , quomodo ipse vt creatura seruus erit , vt quidam ex imperi-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 83
tia dicunt. An alijs poterit libertatem largiri , eius ipse naturā expers ? Minimè. Sed sanctis quidem Apostolis , cæterisque fidelibus qui ad amicitiam suam ascendunt , extrinsecus honoris gratia libertatis accedit dignitas : Ipse enim naturā liber est. Quod enim aduentitium est ab insito & naturali distinguitur. Libertas verò nostra cùm aduentitia sit per gratiam habita , alia est certè ab eius libertate : Hæc ille. Ex quibus apertissimè disputatores inueniuntur parum apprehendisse singularem Christi à peccato libertatem , quam Scripturæ & sancti Patres prædicarunt. Quid igitur mirum , si inaniter sua tela iaciant ?

Quamobrem magnoperè velim aduersarios hic attentè considerare , vt doctè respondere studeant, quò clariū apparere veritas possit. Rogo illos: Quænam est illa immunitas , aut potius libertas à peccato , quam Scripturæ sanctæ Christo tribuunt ? Numquid illa quam nos concedimus B. Virgini: an verò quædam alia maior, quam nulli creaturæ fas sit tribuere ? Si postrem dicant , quid igitur molesti sunt nobis , quasi suam Christo immunitatem propriā adimamus, illāmq; Virgini tribuamus ?

Si dicant eandem esse immunitatem , quam nos tribuimus B. Virgini , calumniosi sunt , & blasphemant , derogantes Christo, quem constituūt consideratā naturā peccatorem & indigentem redemptio-

ne : quæ duo nos de B. Virgine cum eius
communitate prædicamus. Considerent ergo
hæc in spiritu pacis , & agnoscant suam
Christo immunitatem à nobis singularem ,
illibatamque relinqui , & sublimius insuper
quam ab illis magnificari , qui ob excellen-
tiam Filij dicimus Matrem in eo gradu col-
locatam , ut ipsi gratiæ authori quemadmo-
dum (teste B. Thoma) decuit , sit propin-
quissima. Considera hæc , quæso , quisquis
es Spina , & tace , & quiesce , & , ne Matrem
Dei pungas , caue.

Secundò hoc pacto argumentantur. Si
ad istum sensum intelligitur immunitas
Christi à peccato in Scripturis , potest de
quois hominum dici , præseruatum eum
ab originali per Christum , nec propterea
lædentur Scripturæ , quæ singularem im-
munitatem à peccato in illo ponunt. Res-
pondeo : si nihil aliud prohiberet id dici ,
quam ut salua sit Christi immunitas à Scrip-
turis ostensa , haud dubiū quin illud dici pos-
set. At quoniam aliae sunt Scripturæ multæ ,
quæ in cunctis hominibus debitum pecca-
ti conuincunt , & ita regularem in illud
incursum ; ideo non licebit illud asserere de
ceteris , sicut de B. Virgine. Illi enim ex pri-
uilegio tribuimus , sicut & alia quampluri-
ma duæ magnis & cogentibus rationibus ,
quæ in alijs minimè locum habent. Quis
enim tantus vel inter amicos Dei intimos ,
qui ausit se comparare Matri dilectissimæ ,

quam & summi Angeli mirantur, suscipiunt, & venerantur? Merito igitur Dei Matrem à generali regula eximimus. Qui autem à regula excipit, regulam certè primum confitetur; & qui propter priuilegium vnam aliquam solam eximit, non concedit illud reliquis: alioqui priuilegium, non esset priuilegium. Vnde hoc Spinarum argumentum penitus sua exili tenuitate facile evanescit.

Pergunt iterum opposentes nobis sanctos Doctores, qui, ut aiunt, non sic intellexerunt Scripturas, cum eas inducerent contra hæreticos, alias non fuisse idoneè per eas conquisti, & de Pelagianis loquuntur. Quo in loco miror vehementer horum (ne quid proferam durius) ignorantiam: quasi verò nostra positione non protinus confundatur dogma illud Pelagianum, quod erat aduersus Dei gratiam, cuius necessitatem inficiabantur. Ipsi enim omnino negabant Originale peccatum, volentes peccatum illud Adæ ad neminem propagatione pertinere, & nedum transfundi de facto in quemquam, sed nec ex debito, aut merito, ita ut non fuerit opus Dei gratia siue ad tollendum illud, siue ad præseruandum quemquam ab illo. Nos autem qui præseruatam singulariter ab eo peccato beatissimam Virginem asserimus, profectò peccati Crisinalis meritum, in omnibus, & in B. Virgine gratiam Christi specialem, qua ab eo

peccato per præseruationis munus fuit excepta, confitemur. Quamobrem omni ex parte hæreticos prosterminus, diem & naturam infirmam, & Christi gratiam in cunctis confitemur necessariam: vtrumque autem Pelagiani negabant. Porro hanc exigiam in Virgine abundasse gratiam non erat tum consideratum ab Hæreticis: sed nec ponderari quidem ab eis poterat, cum peccatum negarent, & naturam non gratiam prædicarent.

Est autem è vsque eidens calunnia hæc, habere quidquam Pelagiani nostram positionem, etiam iuxta Doctorum Catholicorum sensum, ut sit iam penitus intolerabilis; præsertim cum grauis apud eos autor Caietanus sapienter & permanenter ne zelo isto falsò deciperentur, his verbis admonuerat: Est necessarium secundum fidem credere, quod omnis utriusque Sexus, ab Adam secundum seminalem rationem proueniens, ex ipsa sui generatione sit obnoxius peccato Originali: & contra Pelagianos dicentes oppositum Augustinus differuit & definit. De solo autem Iesu Christo verum est, quod ex ipsa sui generatione nulli obnoxius est peccato, iuxta verbum Angeli ad beatam Virginem dicentis: *Quod ex te nascetur sanctum*, &c. Hæc ille subtiliter & verè: quæ certè si capiantur (ut suo iure ipsa veritas postulat) cunctas huius quæstionis difficultates solvant, &

nos à calunnia liberant. Tria enim paucis perstringit pro nobis aduersus illos. Primum id quod asserimus non esse contra Scripturas. Alterum Pelagianis non fauere. Tertium nec B. Augustinum contra illos disputantem huic nostræ assertioni contrarium definire. At hæc tria in nos obiectant isti disputationes, in iniuriam omnium Ecclesiæ & Vniuersitatum, ut ignores maioréne arrogantia & temeritate, an crassior potius inficiâ ferantur. Parcat illis Deus. Nos autem ad alias accedamus Scripturas, quas pari imperitia obiectant.

Producunt ex Apostolo ad Romanos tertio, vbi ait; *Præcausati sumus Iudeos & Græcos omnes sub peccato esse.* Et paulò post: *Non est distinctione: omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei.* Nos autem eos antequam respondeamus (si fortè nesciunt) admonemus ne sibi persuadeant Apostolum eo in loco de Originali peccato loqui propriè, sed de actualibus. *Quamquam de his reuestra propter originale ex quo omnia fluunt, & in quo virtute omnia continentur.* De his Apostolus loquitur manifestè de quibus præcausatus erat Iudeos & Græcos, eosque coarguerat, ut docti expositores intelligunt, etiam Caietanus ipse in suis ad illum locum Commentariis. Quod si verum est, plus ergo dicit Apostolus quam illi velint, qui omnes profus homines sub actualibus concludit. Quid ergo? Certè B. Virgo ab actua-

DISPV TATIO
libus, vt ipsi met concedant, eximitur? Quare inueniretur Apostolus non solum nobis, verum etiam ipsi met aduersari. Ergo aliquid cogitandum est recte quadrans, in quo posse quiescere animas inquirentis. Hinc enim sternenda est nobis via ad fundamenta nostra comprobanda. Nam in eodem Capite B. Paulus, ubi omnes sub peccato concludit, id comprobat per Scripturas plurimas, præcipue ex Psalmo 13. Dominus de celo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Quid sic ipse met est interpretatus: non est iustus quispam, non est intelligens, non est requirens Deum. Et sequitur: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloci pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Haec autem Scripturæ quæ sine dubio omnes comprehendunt, non solum ab omnibus iustitiam auferunt, verum etiam cunctis peccata tribuunt, & ea nondum venialia, sed mortalia, & quidem atrocissima.

Quid igitur hic dicemus, volumus hic consulere B. Aug. qui certe in his, ut in plerisque aliis accuratius intendit? Ecce has Scripturæ

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 8,
sententias primo auditu duras & insolentes
animaduertens , neminem videlicet prorsus
inter filios Adæ, nec vnum quidem inueni-
ti iustum, aut intelligentem, & requirentem
Deum (quæ sententia actualia peccata sig-
nificat) nullum alium euadendi modum
dari posse arbitratus præclarè dixit : Hic est
verior intellectus , vt nemo intelligatur fe-
cisse bonitatem , nisi ille monstrauerit. Au-
disne tu pie Scripturarum atque Sanctorum
zelator , iuxta intellectum quem B.
Augustinus intrepidè veriorem esse pro-
nunciauit , de quo quis hominum quantum-
uis iusto & sancto absque errore dici in
Scripturis sanctis , quia corruptus fuerit &
abominabilis , neque intelligens , neque re-
quirens Deum , & alia huiusmodi , hac vna
tantum ratione inspecta , quia quilibet talis
ex se fuisse , nisi Dominus aliud quod se-
paretur per gratiam demonstrasset : Voluit
enim Scriptura sapientissimè duo à nobis
considerari ; primum quid sumus naturâ :
deinde quid simus ex gratia , vt à notitia
miseriae nostræ maiorem humilitatem ac-
quireremus : à notitia verò diuinæ gratiæ
ad maiorem charitatis ferorem excitare-
mur in Deum , & Dominum nostrum Ie-
sum Christum.

Sed & pro Thomistarum admonitione
non est prætermittendum , in hanc posi-
tionem tandem ipsummet sanctum Tho-
mam descendisse ; videlicet nullum homi-

num esse iustum , aut facientem bonum ,
sed esse quemlibet peccatorem ex seipso ,
id est suapte natura , iuxta illud Moseos ,
Exod. 24. Nullus apud te per se est innocens.

Quòd si quis fortè aliud Caietani desideraret testimonium , ecce vi coactus veritatis cùm nullus alius pateret ad euadenda absurdia exitus , Prophetæ sensum his fere verbis explicauit : Quòd Deus super filios Adæ respiciens vidit totum genus humana num declinasse à recto : Nec solum reliquit rectitudinem , sed simul foetuerunt tanta morum putredine , & vsque adeò inuenit singulos deficientes , vt non esset faciens bonum , non etiam vnu. Et per hoc intellige describi vires naturæ , & statum mundi ante aduentum Messiae. Et sic procul dubio verum dicitur , quoniam nec ex viribus naturæ , nec ex viribus legis Moseos quicquam inueniebatur faciens bonum. Et hic sensus directè quadrat intentioni Apostoli ad Romanos tertio. Nec obstat quòd multi sancti viri fuerint , ante aduentum Messiae : quoniam gratia quocumque tempore data ad tempus Messiae refertur.

Ecce quām clarè de vnoquoq; filiorū Adæ vult esse verū , quòd nec vnu fecerit bonū : quia , quod quicumque fecit bonum , non ex se fecit , nec ex naturæ viribus , sed præuentus gratia atque adiutus. Hoc ergo patet verum est quod ait Apostolus : *omnes peccauerunt , videlicet etiam actualiter :*

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 91.
quandoquidem pro facto accipitur in intellectu , quod ex ipsa natura rei fieret nisi impedimentum extrinsecus obijceretur.*
Vnde & quod adiicitur : *Et egent gloria Dei,*
etiam si gloriam pro gratia accipimus , (vt exponit B. Augustinus) similiter exponi debet , non quod omnes de facto egerent gratia cum plurimi habuissent & haberent , sed quod tales erant omnes inspecta natura , in quam prolapso iaceremus omnes , nisi ille crexisset. **Vnde** & idem B. Augustinus hoc diligenter considerans ait , lib. Hyp. 2.
Quid est, egent gloria Dei , nisi gratia Dei Patris per Iesum Christum qui est gloria Dei Patris ? & quid est egent ? id est , nemo idoneus per se , quod carnaliter nascitur : nemo operibus meritorum , vitam recipit perdita. Hec ille. Istud ipsum & nos asserimus etiam de illa Virgine sanctissima , quae ex se , id est , secundum naturam & carnalem generationem inspecta , eguit gratiam Dei , quam in patre Adam perdidit ex illius meritis , si sic consideraretur. Verum praeuenit Dominus in benedictionibus , qui illam coram oculis suis perpetuo habere voluit gratiosam , idque merito non quidem suo , sed optimi ac dilectissimi Filii sui.

In hunc sensum puto dixisse Dominum , Ioan. 10. *Quotquot ante me venerunt , fures fuerunt & latrones , etiam ipse sanctissimus Ioannes Baptista:* quia ex sui natura in patre nostro consideratus talis erat , & talis fuis-

set, nisi gratia præuentus & sanctificatus in aliam conditionem translatus fuisset. Et verè latrones fuimus omnes in patre Adam, qui tanquam latro illud rapuit quod Christus exsoluit. Hac consideratione sentiens mundi peccatum, & videns Agnum, magnus ille Ioannes Baptista dicebat, Matth. 3. *Ego debo baptizari à te: licet enim sanctificatus tunc esset, & omnibus Prophetis sanctior: quoniam tamen non ex se illud habebat, in eo conseruari indigebat à Christo: & istud erat assidue baptizari.* Sic omnis creatura dum seruatur, etiam quodammodo creatur: quia ex se nihil est. *Quemadmodum igitur actualiter peccasse in Scripturis ille dicitur, qui etsi verè non peccauerit, ita tamen naturā dispositus erat ut omnino peccaret, si sibi ipsi dimissus fuisset:* Ita & beatissima Virgo nonnullo modo dici potest Originaliter peccasse, & consequenter actualiter. Etenim talis eius natura erat, quæ ex se illud peccatum, nisi præseruasserit gratia, omnino contraxisset: & actualia quoque addidisset quæ virtute in originali continentur, si sibi ipsi dimissa fuisset. Vnde dicimus, Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Iniquitatibus, ait plurali numero: quia in illo originis vitio omnia virtute continentur peccata & iniquitates. Omnis enim peccatum, teste Dilecto, est iniquitas. Quapropter in ipsa nostra conceptione de facto contrahimus mortem gratiæ: quo-

niam vita gratiæ priuati inuenimur cùm concipimus. Vita, inquam, gratiæ priuati, non quam aliquando de facto habuerimus, sed quam ex debito habuissemus, si ipse in sua innocentia debita stetisset. Sic dicimur venire in mundum spoliati donis, quæ tam en de facto numquam habuimus, sed quia debita fuerant anteà, postmodùm debita eorum successit spoliatio. Sicut ergo mortui dicuntur omnes filij Adæ vita gratiæ, quam numquam de facto habuerunt, hoc solo quia decreti erant habere: ita restituta dici potest ipsa gratiæ vita beatæ Virgini, & sic à morte peccati libera & redempta, licet numquam illa vita caruerit, nec illam mortem gustauerit, hoc solo quia caritura fuisset vita illa, & mortem consequenter gustatura, si sub eo peccati debito relicta fuisset, & non per gratiam ab eo præseruata. Sic omnes dicuntur cœci nati, & ideo amisisse visum dicuntur: non quasi visum vimquam de facto habuerint, sed quia erant naturâ apti nati habere, & eorum naturæ illud quodammodo debebatur. B. Ambrosius dixit, omnes nos electos fuisse de Paradiso, cum patre nostro Adam, non qui fuerimus ibi vñquam, sed quia locus ille paratus etiā nobis erat, vt ibi essemus. Dixit item Dominus, Matth. 12. *Peccatum in spiritum sanctum non remitti, neque in hoc seculo, neque in futuro.* At hoc sane non sic accipiendum est, vt ipsa verborum significatio videtur

porrigere, tanquam verè ita futurum de facto. Nam sua omnipotentia potest illud remittere, & ex ingenti misericordia non nunquam illud re ipsa, ut est pius credere, remittit. Cum ergo dicit: *Non remittetur*, illud significare voluit, nimirum naturam illius peccati in semetipsa, hoc est, in meritis illud habere, ut nihil ei prorsus relictum sit, dignum misericordia ac remissione. Ad eum sensum eleganter exponit B. Thomas, ne quis hoc meum esse commentum obijciat. Hæc eius verba sunt: Peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, inquantum excludit ea, per quæ fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiae & misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose sanantur: Hæc ille. Simile est quod prædicamus de priuilegio sanctissimæ Virginis, in qua illius peccati meritum iuxta sui naturam singulariter superatum est ab omnipotentia & misericordia diuina, ut quod aliqua suadente causa debuit esse, multò maiori ratione penè dixerim cogente, de facto non fuerit.

Alibi etiam dixit Dominus, Matth. 26.
omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.
Si ad factum respexerimus, ut verba videntur exigere, non erit hoc verū: sed quia diuina Veritas locuta est, oportet sanè intelligere referendo dictum ad meritum, non ad

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 95
effectum, ut omnino verus sit sermo veritatis. Sic exponunt gloriosi Doctores quos postremò secutus est Caietanus.

Ad hæc B. Ioannes dixit de Christo vera luce, Ioan. 1. *Erat lux vera qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum : si quæratur quónam pæsto id verum sit , cùm plurimos constet non illuminari, quomodo responderi rectè potest, nisi (vt B. Ioannes Chrysostomus exponit) quòd satis illuminat Iesus , quando ex se id agit, vt nulli prorsus desit qui velit lumen accipere? dixit etiam Frater Domini, *Nullus hominum potest domare linguam suam.* Iacob. 3. Et tamen multi fæncti eam domuerunt. Vnde necesse est in illum sensum venire in quem B. Augustinus declarauit : videlicet , nullum hominum, vt homo est , & secundùm suæ naturæ potentiam, posse domare linguam, quæ dum domatur Dei misericordia , Dei adiutorio, Dei gratiâ fieri fateatur. Hæc ille & meritò.*

Concurrit & in hunc sensum B. Hieronymus qui Psalmum 115. exponens, *omnis homo mendax*, ait per illam sententiam taxari humanum genus, quòd ex se tale est, vt qui non est mendax , iam non sit homo. Vnde & B. Paulus, *Cum sint inter vos zelus, & contentio , nónne homines estis?* 1. Cor. 3.

Quod ergo naturæ nostræ est proprium, Scripturæ frequenter considerant, & vt ita à nobis cōsideretur enunciant. Nam quæ non

habemus ex nobis quasi ex nobis, vix nostra esse dici possunt. Quamobrem B. Paulus, cùm ad corroborandam sui Apostolatus autoritatem multa se fecisse commemorasset— quasi corripiens semetipsum mox addit: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15.

Dixit item Dominus: *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Luc. 7. At contrà sæpe numero contingit vt cui minus dimissum fuerit, magis tamen diligit. Quomodo ergo vera reddetur Domini sententia, nisi ad sensum optimorum expositorum recurramus; quia scilicet minus dimittere ex se, & natura sui hoc habet, vt minorem excitet dilectionem? Sic locum illum exposuit Caietanus, qui propterea magnam se dissoluisse quæstionem arbitratus est, & verè magnam, crassis tamen Sophistis, qui non secernunt id quod est naturæ & per se, ab eo quod est per accidens: & ita non penetrant sermones formales, qui sunt propriè sapientum, quibus usus est Dominus noster in Euangelio, & B. Paulus frequenter: Dixit enim Eph. 5. *Nemo inquam carnem suam odio habuit:* vbi id quod erat naturæ significare voluit: Quamuis de facto per accidens aliter plerumq; contingat. Sed hæc passim in Scripturis leguntur & Interpretibus earum. Caietanus quorundam secutus sententiam dictum illud B. Pauli: 1. Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest,* hac glossa defendit, videlicet suis viribus prius

priis naturalibus, ut quicumque viderit, eleuatus super se ipsum viderit. Poterant hæc saltem à Philosopho discere isti, qui de Logica & Philosophia mirum in modum gloriantur, & ceteros quos in diatribis non spectarunt clamitantes contemnunt. Ipse enim Philosophus hominem bene fortunatum rectè vocari eum probat, qui de imminenti quopiam malo, & insperato, ne illud incurriter evasit; nam intellectus malum illud imminens atq; propinquum perinde accipit, ac si iam esset in re: quia aliquo modo erat, cum esset in sua causa, & iam iam imminens: & quod parum distat, non esse remotum videtur. Vnde è conuerso malè fortunatum illum asserit, qui quavis fortunâ magnum aliquod bonū quod prope erat, aslequi paobhibetur. Dicitur enim illud amisisse, quod & si nondum habuerit, proximus tamen erat, vt haberet, nisi insperata atque importuna calamitas præoccupasset.

Quid igitur obstat quin rectè etiam dicamus optimam B. Mariæ sortem (ne ethnico fortunæ vtamur vocabulo) quæ à captiuitate redempta fuerit? Si quidem eam captiuitatem quam erat ex natura rei incursura, tñquam incursam intellectus apprehendit, vt sic dici verè possit ab ea captiuitate Virginem fuisse redemptam per Christi sanguinē. Istud enim redemptionis genus longè omnino maius est, vt sæpius

& dictum est & dicendum est, quo possit in corda quorundam duriora tandem impri-
mi. Ego autem (gratia sit beatissimæ Vir-
gini) expertus sum , qui cùm essem à la-
tronibus in itinere cum tribus comitibus
circumuallatus , solus miro modo captiu-
tatem de facto euasi , tametsi comites illi
capti & spoliati postmodò dimissi fuerint,
& propterea deteriore modo liberati. Hoc
verò factum erga me gratiæ ipsius diuinæ
Virginis adscripsi , cuius tum nomen deuo-
tè in corde meo ab urgenti periculo excita-
tas innuocaui , vt me ita in eo discrimine
redimeret , sicut ego illam redemptam cre-
didi. Gauisus itaque sum vehementer me
alia protectione quàm comites à manu la-
tronum liberatum. Nam vel ipse Philoso-
phus meliorem fortunam diceret eam, qua
malum imminens propelleretur , quàm à
qua malum adiacens expelleretur. Melior
namque est medicina præseruans , quàm
quæ post incursum morbum hominem sa-
nat.

Quocirca parū adm odùm peritè negant
contradicentes iuxta mentem Sanctorum,
posse dici Christū medicū fuisse B. Virginis,
si illa semper bene valuisset. Ignorat certè
quod B. Aug. in libro de vera innocentia
ait, cuius hoc in loco verba proferemus.

Sicut duo , inquit , sunt officia medici-
næ, alterum quo sanatur infirmus, alterum
verò quo custoditur sanitas ; ita sunt duo

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 99
dona gratiæ , vnum quod aufert carnis cu-
piditatem , aliud quod facit animæ perse-
uerantem virtutem , ita ut vterque indi-
geat medico , & qui est infirmus ut infirmi-
tas sanetur , & qui potest infirmus fieri ut
seruetur in sanitate. Hæc ille acutus Do-
ctor. Et iterum : Non me derideat , ait ,
quisquam ab eo medico ægrum sanari , à
quo sibi pæstum est ut non ægrotaret.
Et alibi : Duobus modis etiam in corpo-
re cauetur morbi malum , & ut non acci-
dat , & ut si acciderit citò sanetur : Hæc
ille.

Ad hæc Dominus ad Iudeos aiebat : *Quis*
vestrum arguet me de peccato ? Ioan. 8. *Hoc*
certè dictum non nisi ad æctuale peccatum
potest aptari. Nam de originali propriè
(ut ipsemet Dominus de Turrecremata
fatetur) aptari non potest : quia propriè
de illo peccato nemo arguitur. Et nihil-
seius dicunt sancti Patres , illud solum
pertinere ad Christum , cùm ipse solus sit
Deus. Vnde B. Thomas ibi : Admiranda est
etiam Christi singularis excellentia : quia
teste beato Chrysostomo , hoc nullus ho-
minum potuit fiducialiter dicere : *Quis ex*
vobis arguet me , nisi solus Deus qui peccatum
non fecit. Proverb. 20. *Quis potest dicere*
mundum est cor meum , purus sum à pecca-
to ? Quasi dicat nullus nisi solus Deus. Et
Psalmista : *omnes declinauerunt , simul iniui-*
les facti sunt , non est qui faciat bonum , non

et usque ad unum, id est, Christum. Haec ibi.
Et tamen B. Virginem ab actualibus faciunt
immunem. Ergo & illa potuisset eo modo
dicere: quis vestrum arguet me de pecca-
to? Quid hic quæso dicturi sunt, nisi no-
biscum prædicent illam non potuisse de
hoc in semetipsa gloriari, sed in Domino?
Et in hoc era singularis Christi libertas &
fiducialis gloriatio cui natura id debebatur,
& ideo solus ipse Dominus poterat gloriari.

Hoc vidi te in loco B. Gregorius qui
& mirifice illud declarans, expressit non
solum negauisse Christum se peccatorem,
sed qualem non peccatorem se diceret etiam
ostendit, nimurum illum eximiae in-
nocentie virum, qui ex virtute diuinitatis
posset peccatores iustificare. Quamobrem
nullo modo Maria æquatur filio suo circa
immunitatem, etiam ab actuali peccato,
quam tamen immunitatem illi tribuunt ad-
versarii. Porro licet nos illam ob copiosam
eius filij gratiam ab omni labe præseruatam
prædicemus, Scripturis sanctis tamen con-
sentientes nullo modo eam sub peccato sine
Originali, sine actuali cum ceteris pari res-
pectu ac ratione concludimus, quæ scili-
cket erat talis naturæ & conditionis, tan-
quam Adæ filia, ut posset & deberet con-
cludi. Quod autem conclusa non sit, hoc
fecit clementia & favor diuinus erga illam.
Clementiam autem hanc & favorem, suo
iure impetravit futura maternitas & singu-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. V. B. 101
lare sponsalitium, quæ isti Spinæ non cu-
rant, nec illud audiunt, sicut Liliū inter
spinas, sic amica mea inter filias.

Argutantur & alio modo. Cùm Scriptu-
ræ dicant: *omnes peccauerunt*, prædicatum
illud, peccauerunt; de omnibus veri-
ficati debet uno modo tantum, ut intel-
ligatur vel de facto, vel ex merito aut
debito, & ex natura sui &c. Et non ita va-
rie. In ceteris quidem de facto, & in B. Vir-
gine ex merito, aut debito. Sicut ridiculosè
simul connecteretur una cratone, pratum
cum homine, in hunc modum. Homo &
pratum rident, ut circa hominem risus ve-
rus, circa pratum verò risus metaphoricus
intelligatur. Argutè quidem dictum: sed ita
tamen argutè, ut multis perimatur instatijs.
Ipsemet Dominus de Turrecremata fatetur,
verba illa: *omnes peccauerunt*, de peccato
Originali & actuali debere intelligi, illa ut
in quibusdam verificantur etiam de aetua-
libus, in multis verò de originali tantum.
Ecce pro diuersitate personarū, quo modo
aliter atque aliter idē prædicatum significat.
Ad hæc in puerorum hymno dici-
tur, *Benedicite omnia opera Domini Domino.*
Dan. 3. Certè nō uno modo benedicunt Do-
mino omnia eius opera. Quæ enim sensum
habent & intellectum multò aliter & magis
propriè Deum benedicunt. Dicuntur & om-
nia seruire Deo, sed aliter, atque aliter. Dæ-
mones illi seruiunt: sed longè alio modo

quam serui Christi, Quoniam etiam in exemplo proposito originalis peccati, nos qui dicimur cum ipso Adam peccasse originaliter, multò aliter peccauimus quam ille qui actualiter propria voluntate peccauit: Nos verò in illo tanquam in origine existentes. Neque esset villo pæsto absurdum nec insolens, de varijs rerum generibus, ut de hominibus, de coelo, de arboribus, & campis dicere vniuersaliter omnia rident. Sicut & medicus cum de ægroto qui iam conualuit ita loquitur: omnia inueni sana, videlicet hominem, vrinam, pulsam &c. rectè loquitur, significare volens quodlibet sanum suo modo.

Nec dicimus, vt quidam calumniantur, quouis diuersitate personarum fieri ut aliter atque aliter accipiatur peccatum originale, quasi alio modo peccauerit latro, alio modo Ioannes Baptista. Non enim diuersitas personarum constituit diuersum modum peccandi originaliter, aut contrahendi peccatum; sed vna tantum, quæ est inter Dominam & seruos, quæ tanta est ut alium liberationis modum à peccato constituat. Istud ipsum coguntur dicere ipsimet in quamplurimis sanctissimæ Virginis privilegijs. Ecce sententiam illam in Adam, puluis es, & in puluerem reuerteris, Genes. 3. ponunt omnes esse generalem cunctis hominibus, & tamen de facto non attinuisse ad B. Virginem. Quid ita, nisi quod alio

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 103
modo attinebat ad eam? ut sit vera Scrip-
tura, scilicet ex debito & merito secundum
naturam. Quod autem ex priuilegio ab alio
debito subleuata fuerit, ne de facto sacratissi-
mum illud corpus contraheret corruptio-
nem, non propterea infringit illius dominicae
sententiae veritatem, si sanè intelligatur.

Ecce quorundam sanctorum Doctorum
fuit opinio, qui putarunt multos omnino
ante diem iudicij non morituros, neque
corruptionem corporis passuros, sed solam
immutationem: quia rapiendi sunt in glo-
riam. Hanc opinionem nemo hactenus
damnauit ut hereticam, licet certè multis
non placeat, & meritò quidem. Sed hoc
missum faciamus: satis est quod B. Thomas
stante illa opinione vera, id quod in Scrip-
turis habetur, quod scilicet puluis sumus &
in puluerem reuertemur: *Et quod mors in
omnes pertransiuit, in quo omnes peccauerunt:
Et quod omnes morimur, & sicut aqua dilabi-
mur, & huiusmodi multa, verificari etiam
vult in illis qui non morientur.* Hoc autem
propter reatum, id est, debitum contrahen-
dæ mortis, quod fuit omnium. Hæc sunt B.
Thomæ verba. Si verum est quod non om-
nes morientur, dicendum est ad argumen-
tum, quod etsi illi non moriantur de facto,
est tamen in eis reatus mortis. Ecce quomo-
do vnam & eandem Apostoli sententiam,
de morte in qua omnes ille concludit, ve-
rificari posse, ex diuerso isto modo clarè

ostendit ; hoc est , vt ad quosdam pertinet secundum reatum tantum , quod est dicere ex merito & debito , ad alios vero etiam de facto . Vnde & Caietanus ibidem acutè notat , quòd sicut non spectat ad fidem an aliquis non moriatur , ita non spectat ad fidem , an aliquis ex speciali prærogatiua gratiæ non incurrat peccatum Originale . De utroque enim simul , inquit , Apostolus ad Roman . 5. Per unum hominem peccatum intravit in mandum , & per peccatum mors &c. Vnde & in Commentarijs ad B. Paulum tenet quòd multi de facto non morientur . Videant igitur ipsimet Spinæ , quomodo suis armis & suis autoribus confutantur & confodiuntur .

At dicent aliqui : Spina h̄c se opponit Caietano . Bene habet , salua res est . Schisma igitur ortum est inter eos , nec sibi ipsis constant , sed diuersi sunt . Non ergo stabunt : quia veritatem cui omnia consonant non habent . Evidēm si contra Caietanum hac parte aliquid afferret probabile Spinæ in suo tractatu , libenter producerem : sed nihil ibi legitur , nisi quòd erit proprium Spinæ . Ad rem ergo , vt argumentum propria resolutione diluatur . Dominus illa sua lege , quæ peccati Originalispænam cōtinet : *Quacumque die comederis morte morieris* : Principaliiter de utriusque mortis merito ac debito intellexit & iuxta hanc principalem significationē æqualiter ad omnes pertinet . Quòd

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 103
ergo etiam de facto fere ad omnes exten-
datur ab ipso merito est ac debito. Nam se-
cundum ias quod ministratur à Deo , recta
est ratiocinatio. Ille hoc prometuit & de-
bet , ergo soluet aliquando de facto. Deus
enim iustus est : nisi forte alia maior fae-
rit ratio , & causa dispensationis & priuile-
gij in aliqua persona , iti qua de facto non
verificetur , sicut in casu proposito viget
de beatissima Virgine Dei Matre , omni gra-
tia & prærogativa propter excellentiam
Christi, Filii sui dignissima. Itaque Scriptu-
rae sanctæ has expositiones nedum non rej-
ciunt , quin potius ita requirunt , vt nisi sic
accipiās penitus non intelligas.

Dictum fuit Ezechiæ ægrotanti in verbo
Domini per Isaiam : *Dispone domui tuæ
quia morieris & non viues*. Ille tamen de
facto tunc minimè mortuus est ; imò fuit
vitæ ipsius facta quindecim annorum ac-
cessio. Numquid igitur falsum locutus est
propheta , qui dixit : *Dispone domui tuæ , quia
morieris , ac si in foribus adesset mors?* Absit ,
sed quod ex naturâ ægritudinis dispositum
erat nunciatum est ei. Et hoc significarunt
ea verba : *Morieris , & non viues*. Quod fuit
verum : quia stante tamén veritate quia Do-
minus sua virtute , quæ est domina naturæ ,
prohibuit euentum illum , qui iuxta rei na-
turam , apud intellectum accidisse perpen-
ditur , propterea verè dici potest liberatum
cum fuisse & redemptum à morte non in-

cursa tamen, sed incurrenda, propter dispositionem causarum necessario ad mortem ducentium, nisi præueniens manus Domini, sub cuius nutu sunt omnes causæ & vniuersa natura, illum præseruasset. Qui hæc vel non capit, vel negat, aut stolidus est, aut proterius: & idcirco nec dignus cum quo vlla suscipiatur disputatio.

Ex his igitur quæ iam conclusa sunt facile patere potest cunctarum Scripturarum, etiam illius Apostolicæ resolutio, quæ in vniuersum mundum intrasse peccatum manifestat, & per peccatum mortem intrasse in omnes homines, in quo omnes peccaverunt. Nam si (ut iam dedimus cum glossa tamen sua) dici potest omnes etiam actualiter peccasse includendo simul illam Virginem, quia omnes actualiter peccassent nisi Deus sua gratia continuisset: hoc item facile dare possumus quod originaliter ipsa peccauerit: quia ex merito illius peccati debebat sub illo includi, & re ipsa conclusa fuisset, nisi Dominus ex alijs (ut sæpe diximus) multò validioribus rationibus præseruasset. Quod autem hoc non sit torquere Scripturam illam, vt isti falsò existimant, fauet nobis B. Paulus qui hunc locum, Rom. 5. in hæc verba concludit: *Igitur sicut per unius peccatum in omnes homines in condemnationem, ita per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Intende quæso, acute lector, & vide quomo-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 107
do hi duo Adam æqua lance disponuntur ;
vetus quidem Adam in condemnationem :
nouus autem in iustificationem vitæ. Cùm
verò constet non omnes à nouo Adam de
facto iustificari, etiam clarè constat B. Pau-
lum ad meritum vtriusque aspexisse, non
ad effectum. Sicut autem meritis iustitiae
Christi multi obicem ponunt, & ideo non
iustificantur de facto ; sic etiam nihil prohi-
bet Christi gratiam excellentem pro Matre
sua obicem meritis Adæ opposuisse, ne
eam labes illius peccati & vitium at-
tingeret. Nam ita debet Adam **vetus** con-
siderari, quemdamodum & nouus : ita
enim ille perditor, sicut noster Redemptor.
Et considera iterum, prudens lector, non
abs re factum, vt B. Paulus perfectam non
reddiderit orationem. Ait enim : *sicut per*
vnius peccatum in omnes homines in condem-
nationem : vbi certè manca est sententia, ad
quam absoluendam verbum aliquod intel-
ligi oportet. Reliquit ergo nobis locum
exponendi & supplendi ipsam rei dignita-
tem & meritum, ac si in hunc modum clari-
rius expressisset : sicut per vnius peccatum
dignum fuit irasci Deum ad condemna-
tionem in omnes : ita per vnius iustitiam di-
gnum fuit placari illum ad iustificationem
omnium. Sic oportet exponi, vt sit simili-
tudo proportionalis : & ita coactus est ex-
ponere Caietanus egregiè iis verbis : De-
clarat Apostolus similitudinem proportio-

nalem, è regione delicti vnius hominis locans iustificationem etiam vnius, procul dubio Iesu Christi. In omnes homines suapte natura iustificatio Christi in cruce fuit in omnes homines: quoniam ipse est caput vnius Ecclesiae à principio mundi usque ad finem. Et propterea meritum ipsius est suapte natura meritum omnium, quantum ad sufficientiam: hæc ille. Et certè miram est, & supra modum stupendum ab istis conceidi Christum Redemptorem omnium etiam eorum qui effectu redempti non sunt, quia quantum fuit ex parte Christi, & eius merito redempti sunt: & tamen non patiuntur nos dicere Adam ex merito suo peremptorem & perditorem etiam B. Virginis, licet ipsa de facto non fuerit perdata nec perempta: quoniam ab eo debito seruata est & sublevata per Christum? An non stupendum, inquam, vnam & eandem interpretationem, quæ passim recipitur in Scripturis, cum pro B. Virginis privilegio assertur, repudiari quasi torqueat Scripturas, & istud abiis qui videri volunt B. Virginis zelatores?

Ecce hic rursus clamant in zelo suo pro B. Virgine, afferentes non posse pie ac verè dici eam commississe actualia peccata, nec illi fuisse remissa, nec ab eis fuisse redemptam. Scio quem fucum ista facere possint crassis & ignaros, & Scripturarum imperitos: at verè doctis ac peritis, & assuetis in illis

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 169
non ita. Si enim hæc dicantur cum vero
suo sensu & declarentur, nihil prorsus im-
pium continent: nisi verò impium esse pu-
tent deprimere naturam, & extollere gra-
tiam Christi, maximè in Virgine. Audite
Spinæ & parumper semouete hunc zelum
vestrum, ne forte iudicetur furor. Sunt non-
nulla quæ dicuntur de Christo in Scriptu-
ris, quæ primo auditu horribilia videntur,
vt quod ipse fuerit peccatum & maledi-
ctum: maledictum inquam à Deo. Nónne
horror est vel id cogitare? Cur hic in zelum
non rapiunini acriter reprehendentes Apo-
stolum sic dicentem & scribentem, nisi
quia si pius verborum sensus declaretur, ad
summam ipsius Domini laudem pertinet, &
humilitatis, & charitatis præconium? Tale
est quod nos dicimus de B. Virgine, quando
illam sub actuali concludimus, intelligen-
tes semper & declarantes quod erat naturæ
& conditionis suæ, vt Christi donum &
gratiam exaltemus, qui illam à cunctis
eiusmodi malis præseruavit & protexit.

Quòd si quis vrgèat: Numquid ergo sic
prædicaretis populis B. Virginem fuisse
peccatricem? Respondemus, non certè sic
nudè: quémadmodum nec multa quæ in
Scripturis leguntur sic prædicanda sunt vt
literæ cortex porrigit. Nónne & illa sunt
verba Christi: *Longè à salute mea Verba
delictorum meorum*: Psal. 21. Et tamen qui
temerè sic prædicaret Christum habuisse

110 V 3 T D I S P U T A T I O
delicta, scandalum præberet, non autem si-
fensum verum aptè declararet. Sed ad rem.
Si non potest dici remissa fuisse B. Virginis
actualia peccata: ad illam ergo non perti-
nuit orationem illam pro se ipsa fundere:
Dimitte nobis debita nostra: Quæ oratio, te-
ste D. Augustino, omnium Christianorum
est, nec ad originalem pertinet noxam, ut
idem doctor declarat, sed ad actualia pec-
cata, quæ sunt iustorum, ita ut quilibet pro
se illud crare indigeat: & ita fuit in Con-
ciliis decisum. Orabat ergo B. Virgo ut à
Patre cælesti sibi remitterentur peccata. Di-
ces, sed quænam peccata cùm nulla com-
miserit? Nos respondemus peccata illa es-
se intelligenda quæ omnino commisisset,
nisi gràtia singularis eam perpetuò præser-
uasset, vnde & B. Augustinus ad hunc sen-
sum respiciens, deputabat à Deo sibi di-
missum quodcumque illo adiuuante non
fuerat à se commissum. Huc spectat com-
une illud dictum: Pueros baptizari in re-
missionem peccatorum cùm non habeant
nisi vnum peccatum. Sed quia virtute in
eo peccata plurima continentur (ut B.
Thomas docet) remissa etiam illa intelli-
guntur quæ numquam fuere commissa: imò
nec etiam committenda, ab iis saltem qui
ante annos doli capaces decedereut.

Illud verò quod passim inculcant: Si hoc
damus B. Virginis ut sit ab omnibus exce-
pta peccatis, salua veritate Scripturarum,

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 111
per eiusmodi interpretationem sive distinctionem , videlicet ex debito & merito, sive ex natura rei, poterit id ipsum pariter concedi cæteris , aut cuicunque libuerit , salua similiter Scripturarum veritate : nihil penitus habet momenti. Quod enim Virginis tribuimus ex priuilegio tribuimus , ut non de facto incurrit peccatum. In causa autem priuilegiorū æquare velle alium quilibet tantæ Virgini , iniurium est atque impium. Vna est enim perfecta, & vna electa ex millibus Filia , Mater, & Sponsa Dei. Si sub actuali peccato omnes homines in Scripturis concluduntur, & nihilominus salua manet eorum veritas cum excipimus B. Virginem, ut ipsimet fatentur : cur obsecro, non idem etiam de originali dici possit?



REFELLITVR QVARTVS CONTRA-
dicentium zelus pro sanctis
Doctoribus.

HACTENVS de Scripturis volo esse disputatum, ad indicandum istorum zelum non esse secundum scientiam. Nunc igitur patefacere studebimus nec pro Sanctis oportuisse tantoper zelare , tametsi id iam magna ex parte præstiterimus. Si enim Scripturæ iuxta germanum illarum sensum contra nos mi-

112 DISPUTATIO
nimè pugnant, certè nec ipsos sanctos Pa-
tres habemus contrarios, qui Scripturis in-
nituntur, & illarum sensum custodiri vo-
lunt. Insistam autem potissimum in B. Au-
gustino ut hoc demonstrem, tum quia ipse
aduersus hæreticos vberius præ cæteris dis-
putans, de mente omnium veterum, imò
secundum fidei Catholicae fundamenta se
esse locutum affirmat: tum verò quoniam
aduersarij hunc Doctorem potissimum no-
bis obiiciunt.

Verum cùm ea quæ aduersus Pelagianos
hæreticos scripsit, recte intelligi nequa-
quam possint, nisi primum quæ illi dog-
matizabant dilucide à nobis explicentur,
idcirco eorum dogma ab omni Ecclesia re-
probatum, velut radix & caput pluri-
marum conclusionum damnabilium quæ
inde procedunt, præmittendum est. Ha-
iustmodi ergo erat dogma Pelagianum; Il-
lud Adæ peccatum non habuisse ullam vim,
aut meritum ad vitiandam humanam na-
turam, ac propterea in nullo mortalium
fuisse vitiatam, sed integrum, sanam, va-
lentemque liberi arbitrij viribus perficere
præcepta Dei, nancisci gratiam, (quam
secundum merita dari aiebant) & obtinere
vitam æternā. Nullo ergo modo contrahere
ullam hominem peccatum, seu peccati
maculam, aut reatum, aut poenam in sua
conceptione volebant. Nam mortem &
cætera quæ corruptionis sunt, & carnis re-
pugnantiam

pugnantiam aduersus spiritum , naturaliter homini accidere secundum primordia conditionis nostrae præstitutæ à Deo assueabant ; sed non dominari menti. Quamobrem ipse Adam etiam si non peccasset , incurisset tamen mortem , & nos vna cum illo similiter. Ex quibus omnibus consequebatur Christum ipsum fuisse gratis mortuum. Non enim necessaria nobis fuisse per illum redemptio à peccato & à morte : nec oportuisset paruulos baptizari , vt in eis ullum expiaretur peccatum. Hæc est notissima Pelagianorum doctrina , quæ duos in se continet grauissimos capitales errores. Vnum pro natura humana , quam sanam & integrum existimabant , ad superbiam nutriendam in homine. Alterum contra gratiam consequenter , qua non opus fuisse ad restitutionem naturæ hominis dogmatizabant , vt sic beneficium crucis euacuaretur , & gratiarum actiones pro illo sillerent. Contra hos duos errores tanquam fidei nostræ fundamenta destruentes , B. Augustinus neruos intendens proposuit hanc oppositam illis principalem conclusionem videlicet ; peccatum illud suo merito totam humanam naturam priuasse gratia Dei ac vitiasse , nisi per ipsum Christum redimeretur & saluaretur , in quo solo non valuit vitiari natura , quia erat Deo coniuncta. Hæc est B. Augustini conclusio , & Catholica definitio , ex qua sequitur om-

nes qui concipiuntur, si sola corruptæ naturæ spectetur conditio, concipi in vitio & peccatores secundum debitum naturaliter. Nec iij solum qui concipiuntur, sed etiam qui nascuntur omnes, vno Christo excepto, in ea conditione deprehenduntur sui natura peccatores. Nec id solum, sed omnes hanc vitam ducentes tales esse natura fateri oportet, id est, aptos & pronos ad peccandum, ac propterea nullum esse posse absque peccato etiam actuali, si venerit ad ætatem doli & criminis capacem. Vnde & tota nostra vita in peccatis traducitur, ac per hoc omnes qui moriuntur in peccatis moriuntur, nullusque inter mortales hinc liber euadit præter unum Dominum Iesum Christum, qui solus inter mortuos prædicatur liber. Itaque iuxta beati Augustini sententiam, omnes non solum concipiuntur, sed etiam nascuntur, viuunt, & moriuntur in illo peccato. Quæ sententia nisi sobriè intelligatur, scilicet iuxta id quod erat naturæ & non gratiæ, procul dubio falsa inuenietur: quoniam sancta nativitas, & sancta vita, & mors etiam sancta B. Virginis Catholicè creditur.

Hic ergo manifesta quæstionis resolutio habetur, & manifestatur B. Augustini & omnium sanctorum Patrum huiusmodi doctrinam tradentium, mens & intellectus, ita ut qui vult esse docilis quiescat. Cum enim hæc iam sit totius Ecclesiæ fides, B.

Virginem natam sanctam , & omnem vitam suam peregrinisse sine peccato ; imo & B. Ioannes Baptista , & Ieremias sanctificati in utero aperte in sacris literis dicantur , & nihilominus antiqui Patres solam Christi natuitatem & vitam praedicent innocentem & sanctam : ut haec simul consistant , & Sanctorum sententiæ cum fide Ecclesiæ recte conueniant, oportet aliquid communisci ad tollendam contradictionis apparentiam. Non apparet autem aliud quod quadrare possit , nisi illud ipsum quod attulimus , videlicet illos sanctos Scripturarum egregios tractatores & egregie sapientes , ad illud respexisse quod erat ex natura rei & conditione natorum , qua perspecta , solus Christus vere absque peccato & natus & vixisse dicitur : quia haec gratia & prærogativa ipsius naturæ debebatur , qui summo & singulari modo generationis processit de Spiritu sancto conceptus , & inuentus Deus. Quoniam vero reliqui omnes aliter concipiuntur , etiam ipsa B. Virgo , ex sex conditione naturæ cum aliis potest dici cum peccato concepta , iuxta modum loquendi Scripturarum , tametsi præseruata fuerit. Nam & illa dicitur à sanctis Patribus etiam in peccato nata : quandoquidem ita futurum erat , nisi desuper gratia præuenisset.

Quod autem sancti Patres , vel ipsemet Augustinus , omnes præter Christum natos esse sub illo peccato manifestè dicant , ex

illorum verbis facile indicatur: etenim B. Ambrosius in libro contra Nouatianum, quem citat B. Augustinus libro secundo contra Pelagianos, ita scribit: Omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicentem Dauid: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea* Psal. 50. Ecce quam clare non solum de conceptione, verum etiam de nativitate, idem prædicat D. Ambrosius, quam vocat ortum, adducens psalmum iuxta antiquam lectionem Septuaginta, qui dixerat: & in peccatis peperit me mater mea. Peperit, inquit, quo verbo non conceptio, sed ipsa nativitas proculdubio significatur. Aliud enim est concipere, aliud parere. Sic & B. Gregorius locum illum allegat, & D. Hilarius. Non hic à nobis suscipitur disputatio, quænam lectio sit melior, sed de sensu Doctorum quæritur. Satis mihi est ita nativitatem sub eo vitio, sicut conceptionem absque controversia ab aliis Patribus concludi.

Adfert item B. Augustinus alium D. Ambrosij locum apud Lucam cap. 2. vbi ait; Solus per omnia Dominus Iesus Christus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit, & cælesti maiestate depulit. Vide quomodo nativitatem suo nomine aperte exprimit vocans partum, ut inde consequentiam edu-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 117
cat his verbis: Concipimur ergo in peccatis
parentum , & in delictis eorum nascimur.
Ecce ut hæc duo gloriosus Doctor , concep-
tionem scilicet & nativitatem simul copu-
lans , utramque pariter sub eadem peccati
sententia coriungit.

B. Item Hieronymus eundem psalmum
tractans , generaliter de quo quis homine sta-
tuit his verbis: Concipitur & nascitur in
Originali peccato quod ex Adam trahitur:
vbi si exponas nascitur , id est , concipitur
(ut quidam ex aduersariis faciunt) muga-
tio prorsus ridicula inde resultat : dixisset
enim concipitur , & concipitur. Et ipsem et
B. Augustinus hanc antiquorum senten-
tiam s̄epissimè concludit aiens: Nullus
hominum præter Christum est sine peccato
infantilis ætatis exorsu , etiamsi unius diei
sit super terram. At hoc falsum esset iuxta
istorum sententiam in B. Virgine , quam
vel ipsimet afferunt in utero fuisse sanctificata,
& nascendo immunem ab omni pec-
cato in mundum venisse , quæ non quidem
solum unum diem super terram , sed totam
reliquam vitam duxit immaculatam. Quin
illud etiam considerandum , quod egregius
Psaltes totius humani generis confessionem
faciens , non modò dixit : Ecce in iniquita-
tibus conceptus sum , sed addidit : Et in pecca-
tis peperit me mater mea , iuxta lectionem
quam antiqui fecuti sunt , etiam ipse B. Hie-
ronymus in sua translatione: quæ lectio vi-

detur elegantior, ne postquam dictum est:
Ecce in iniquitatibus conceptus sum, idem superfluò repetatur dicendo: *Et in peccatis concepit me mater mea*: nisi forte duos conceptionis modos innuerit, videlicet & cùm primùm foetus concipitur, & cùm postmodò anima rationali animatur.

Aliibi quoque B. Augustinus sententiam illá Ecclesiastici 40. *Graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris*, ad Originale peccatum acommodat, in quo, inquit, omnes nascimur. Quid hīc potest cùm expressè dicat Scriptura, *à die exitus de ventre matris*, & non à die ingressus in ventrem? Vnde ex Mileuitano Concilio vbi Pelagius damnatus est, ita legitur: *Placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris dicit nihil ex Adam contrahere originale, anathema sit*. Ab uteris, inquit, matrum recentes: non dicit in uteris conceptos. Quin ut penitus contradicentium ora obstruantur, ipsemēt B. Augustinus hanc ipsorum cauillofam, calumniosāmque interpretationem reuicit & damnat his verbis: *Hoc ergo excepto lapide angulari, non video quomodo edificantur homines in domum Dei, ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non esse possunt antequām nati*. Et paulò pòst: *Quòd si quisquam dicit iam esse natum hominem etiam cùm adhuc est in utero matris, testimoniumque adhibet ex Euangelio, quia dictum est ad Ioseph*

de prægnante Virgine Domini Matre : Quod enim in ea natum est , de spiritu sancto est : Numquidnam huic natuitati accedit secunda natuitas ? Alioqui non erit iam secunda, sed tertia. Dominus autem cum hinc loqueretur : *Nisi quis, inquit, renatus fuerit denuò :* eam scilicet computans primam natuitatem , quæ fit matre pariente, non concipiente atque prægnante , quæ fit ex ea, non quæ fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem , quem mater peperit , tanquam iterum natus sit, qui iam semel in utero natus fuerat , sed illa natuitate non computata quæ grauidam facit, natus dicitur homo partu , ut possit renasci ex aqua & spiritu , secundum quam ex matre natuitatem, etiam ipse Dominus in Bethlehem Iudæ dicitur natus. Hæc B. Augustinus , ut perspicuè pateat , quomodo istorum glossam , qui natuitatem pro conceptione positam à B. Augustino contendunt , priùs vidit ipse , ac reprobauit.

Vt autem perspicias , acute lector , eam generalem Scripturarum , ac Doctorum de peccato sententiam , quæ omnes homines concludit , non solum ad conceptionis tempus aut natuitatis pertinere , verum etiam ad uniuersam vitam hominis , vt vel mortem quoque ipsam sub peccato conluserint ; Audi quæso eundem D. Augustinum , qui contra Julianum ore omnium veterum sanctorum Patrum ex professo scribens sic

ait : *Nullus hominum prater Christum , qui peccatum non fecerit grandioris etatis accessu.* Et ibidem : *In carne sine peccato vivere solum est redemptoris.* Et alibi : *omnes baptizati orant ; Dimitte nobis debita nostra, prepositi & plebes, pastores & greges, à spiritualibus usque ad carnales, ab Apostolis usque ad penitentes :* ideo neminem debere gloriari tanquam ab omnibus peccatis sit in hac vita immunis. Et alibi : *Teneamus ergo indeclinabilem fidei confessionem, solus unus est qui sine peccato inter aliena peccata vixit, sine peccato mortuus est propter aliena peccata :* Et in libro de fide ad Petrum, tria hæc simul perstringit , solum Christum conceptum, natum , & mortuum sicut peccato. Quod similiter in Concilio Florentino sub Eugenio quarto determinatum est, & versiculum illum psalmi 87. *Fætus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber,* idem præclarissimus Doctor explicans sic ait : In his verbis maximè persona Domini apparet. *Quis enim aliis inter mortuos liber, nisi qui in similitudine carnis peccati inter peccatores solus ipse sine peccato ?* Quo in loco ad sensum tanti Doctoris plenius intelligendum diligenter aduertere debet studiosus lector , quod aduersus Pelagianos disputans, qui omnino peccatum Originale negabant , non solum obtinere voluit esse peccatum in conceptione hominis, verum etiam in nativitate: nec solum in nativitate, sed in tota vita. Hoc

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 121
certè necessarium est omnino in eis euenire,
qui eo peccato tenentur adhuc inuoluti, nec
renati sunt in Christo. Nec id tantum satis
fuit B. Augustino aduersus illos euicisse,
quin vltterius adiecit, nec renatos, imò nec
ipsos sanatos post sanctitatem adeptam à
peccato fuisse prorsus immunes. Etsi enim
iusti essent & sancti, attamen non ita per-
fectè, vt venialiter saltem ac leuiter non
peccarent: qua de re ipse colligebat contra
illos Originale peccatum. Nam hanc pec-
candi necessitatem in sanctis & iustis ab O-
riginali peccato manare considerabat, quo-
niam à reliquiis eius, id est, à concupiscentia
& illecebris non penitus liberantur ipsi
Sancti, generaliter loquendo. At cùm paulò
durior visa esset huiusmodi sententia, quo-
niam non tam contra Pelagianos Origina-
le peccatum negantes militare perspicie-
bat, quām contra gratiam Christi & Spi-
ritum Dei sanctum, qui nulla regula teneri
potest, ne valeat spirare ubi & quando, &
quomodo velit, & quantūm velit, etiam ad
perfectam illius peccati extinctionem, sal-
tem in aliqua electa persona, cohibuit ali-
quando semetipsum circa hunc articulum.
Quantumuis enim plerisque in locis per-
seuerasset id asserere, videlicet nullum om-
nino etiam Sanctorum, præter solum Chri-
stum inueniri hanc vitam viuere sinè pec-
cato (quia sic videbantur Scripturæ multæ
& veterum Doctorum sententiæ testari)

attamen sæpenumerò protestatus est se nolle dogma suæ doctrinæ oppositum , damnare quasi hæreticum , cùm nequaquam sit contra fidei fundamenta. Neque enim per hoc negatur Originale peccatum : sed gratia maior contra illud, & illius malitiam asseritur. Quare concludit B. ille ac prudens Doct̄or , si Scripturis quæ ianuere oppositum videntur, congruè responderetur, pietatis esse ac benevolentiaz , illud potius recipere, quod magis Dei gratiam ac misericordiam extolleret. Ob eam causam recusat id negotij contra Pelagianos velle sumere , vt hoc penitus euincat ; quoniam impeccantia , aut impeccabilitas quæcumque ponatur , modò id non detur naturæ , (quod volebant Pelagiani) sed gratiaz Dei , nihil fauebat hæreticis. Itaque cum negaret Pelagius ad quæstionem pertinere, an omnes de facto peccauerint , quia id poterat esse sua ipsorum socordia ac nequitia : sed an potuerint non peccare , quod ipse naturâ fieri posse contendebat , ipse B. Augustinus respondet quod in hoc , id est , quid de facto fuerit aduersum illum certare non erat opus. Et addit : Nam neque illud nimis curo virum fuerint hic aliqui , vel sint , velesse possint , qui perfectam cui nihil addendum esset habuerint , vel habeant , vel habituri sint charitatem Dei. Ipsa est enim verissima , plenissima , perfectissimâque iustitia: quoniam id voluntate hominis adiu-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 123
ta per Dei gratiam fieri posse confiteor &
defendo : quando, vel ubi, vel in quo fiat ,
nisi certare non debedo. Neque de ipsa
possibilitate contendo, cum sanata & adiuta
hominis voluntate, possilitas ipsa , simul
cum effectu in Sanctis proueniat , dum
charitas Dei , quantum plenissime natura
nostra sana atque purgata capere potest,
diffunditur in cordibus nostris , per Spiritu
m sanctum qui datus est nobis. Melius
itaque Dei causa agitur (quam se iste agere
dicit defensando naturam) cum & Creator &
Saluator agnoscatur, quam cum defensa ve-
lut sana, viribusque integris creatura, opitu-
latio Saluatoris inanitur. Hæc ille docte &
piè pro gratia contra naturam. Vnde & Ca-
pite 44. prosequitur dicens : Quid ergo
iam opus est in pluribus immorari? Venia-
mus interius ad causam, quam in hac dum-
taxat quæstione vel solam , vel penè so-
lam cum ipsis habemus. Sicut enim ipse di-
xit , ad quod nunc agit , non pertinere ut
quæratur , utrum fuerint , vel sint aliqui
homines in hac vita sine peccato: sed utrum
esse potuerint, siue possint. Ita ego etiam si
fuisse vel esse consentiam , nullo modo tam-
en potuisse, vel posse confirmo, nisi iusti-
ficiatos gratia Dei per Iesum Christum Do-
minum nostrum , & hunc crucifixum. Et
alibi aduersus illos : Vestrum dogma id
persuadere conatur velut inculpatæ præ-
dicatione naturæ , & potentiae liberi arbi-

trij, & legis, siue naturalis, siue Mosaicæ, vt
etsi sit opus, necesse tamen non sit ad Chri-
stum pro æterna salute transire. Et alibi:
De hac re cum istis tota vertitur quæstio, ne
gratiam Dei quæ est in Christo Iesu Domi-
no nostro peruersa naturæ defensione fru-
stremur. Vnde & exclamans ait: Pro Chri-
sti gratia clamo sine qua nemo iustificatur.
Qui dicunt esse posse in hac vita hominem
sine peccato, non est eis continuò incauta
temeritate resistendum. Si enim esse posse
negauerimus: & hominis arbitrio qui hoc
volendo appetit & Dei misericordiæ qui
hoc adiuuante efficit derogabimus. Hæc il-
le. Et alibi: Piè & Christianè dubitari pos-
se, vtrum aliqui tanta gratia prædicti fue-
rint, vt omnino à peccato iminunes fuerint.
Sed si hoc fuit, per gratiam Christi fuit. Et
in lib. de perfecta iustitia, testatur se scire
Catholicos viros tenere, posse esse homi-
nem in hac vita sine peccato per gratiam &
adiutorium Dei, neque audere illos repre-
hendere. At eos qui Dei gratiam excludunt
omnium ore anathematizandos. Et alibi:
Proinde, inquit, non multum molesti sunt,
& instandum est eis ut si possunt, ostendant
ita esse, qui dicunt vivere sic hominem, siue
vixisse sine ullo omnino peccato. Nam si
testimonia Scripturarum, quibus existimo
definitum, nullum hominem hic viuentem,
quamvis vtratur libero arbitrio, inueniri sine
peccato, sicuti est: *Ne intres in iudicium cum*

seruo tuo , quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Psal. 142. Et cætera talia quisquam docere potuerit aliter esse accipienda quam sonant , & demonstrauerit aliquem , vel aliquos sine ullo hic vixisse peccato , qui non ei non solùm minimè aduersatus , verùm etiam plurimùm gratulatus fuerit , non mediocribus inuidentiæ stimulis agitatur. Quin etiam si nemo est , aut fuerit aut erit , (quod magis credo) tali puritate perfectus : & tamen esse , aut fuisse , aut fore defenditur & putatur ; quantum ego iudicare possum non multum errant , nec perniciosa , cum quadam quisque benevolentia fallitur : si tamen qui hoc putat , seipsum talem esse non putet , nisi reuera ac liquidò talem se esse perspexerit. Sed illis accerrime ac vehementissime resistendum est , qui putant sine adiutorio Dei per seipsam vim voluntatis humanæ , vel iustitiam posse perficere , vel ad eam tendendo proficere. Et alibi: Etiamsi concedam fuisse in hac vita sine peccato , nullo tamen modo potuisse , vel posse confirmo , nisi iustificatos gratis per Iesum Christum. Et addit: Quid verius dici potest & breuius , quam possibilitatem non peccandi quantacumque est , vel erit , non nisi à Deo debere reputari ? Si hæc dicunt , id & nos dicimus : & iungamus dexteras : Hæc B. Augustinus.

Quid hic nostri Spinæ ? Satisne ergo iam certi sunt eam semper D. Augustini

fuisse mentem , dum poneret omnes , & eodem modo sub peccato Originali & actuali , & in conceptione , & in natuitate , & in vita , & in morte , hoc intellexisse secundum conditionem naturæ lapsæ , & seclusa Christi gratia , pro qua clamare se ait , & cum illis dexteram iungere qui Dei gratia affererent ? Ergo tantò ille magis dexterā nobiscum iungit , quām cum illis , quantò nos magnificientius quām ipsi Christi gratiam erga Matrem eius charissimam prædicamus , quam prorsus ab omni peccato & singulariter ab originali præseruatam per eius gratiam profitemur , quod ipsi negant . Tantum verò abest ut cum Pelagio in hoc dicto conueniamus (ut hi Spinæ calumniosè nobis imponunt) ut etiam vehementissimè contradicamus . Pelagius enim numquam nobiscum hac in re censensset , qui dicimus à peccato illo eam singulariter præseruatam , cùm istud peccatum penitus negaret . Siquidem non potest intelligi quemquam esse ab illo malo , quod non sit , præseruatum .

¶ Verum quid ulterius labore ? Ipse Caietanus , sicut superius citauimus nobis attestans dixit , quòd hoc tantum aduersus Pelagianos B. Augustinus disputans definiuit , videlicet esse necessarium credere ex visuæ generationis quemlibet obnoxium esse ad contrahendum originale peccatum . Nec huic fidei aduersari si ponatur aliqua electa

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. V. B. 127
persona ab eo debito gratiâ præseruationis
redempta. Hoc testimonium tantò aduersus
hos Spinæ debet esse validius , quantò fuit
maiori vi veritatis expressum , vt potè ab
aduersario pro nobis , & contra suos . Quod
sanè arbitror singulari Dei prouidentia ad
horum duritiam emolliendam factum esse.
Alioqui , quid oportebat istud à Caietano
quasi interprete declarari , cùm ipsem
Augustinus se ipsum toties declarasset , nisi
quia videbat suos nimium in sententia te-
naces , & paruna in lectione antiquorum
versatos ?

Illud ergo tandem constituendum est ,
hanc de peccatis actualibus quæstionem ;
vtrum scilicet inueniretur de facto ullus
homo immunis , non fuisse principalem
cum Pelagianis , sed obiter tantum inciderat :
quoniam per hæc actualia in quæ vniuersaliter
homines incidebant , volet acutissimus
Doctor persuadere naturam ob pecca-
tum infirmam . Quam infirmitatem , quæ
communiter in cunctis apparet , nec per
baptismum tollitur , si confessi fuissent hæ-
retici , quamcumque præterea sanationem
per Christum posuissent in aliqua electa
persona , siue per modum præseruationis ,
siue communis liberationis , non illis recla-
masset B. Augustinus . Alias , ipsomet teste
fuisset contra gratiam contendere : potissi-
mum verò si hoc de Beatissima Virgine Dei
Matre proposuissent , pro qua tantum red-

dedit testimonium , vt illud solum validissimum sit ad stabiendum hanc tantæ Virginis prærogatiuam. Hæc enim eius verba contra Pelagium : Excepta , inquit , Virgine Maria , de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur Volo habere quæstionem : (iam enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad peccatum ab omni parte vinctum , quæ illum concipere & parere meruit , quem constat nullum habuisse peccatum) Hac , inquam , Virgine excepta , si omnes illos Sanctos & Sanctas , quos ille enumerat connumerare possemus , & interrogare vtrum essent sinè peccato , quid fuissent responsuros putamus ? An quod Pelagius , an quod Ioannes dicit , rogo vos ? Quantalibet fuerint in hoc corpore sanctitatem , si de hoc interrogari potuissent , vna voce clamarent : si dixerimus quia peccatum non habemus , ipsi nos seducimus &c. Hæc B. Augustinus , pro singulari innocentia sanctissimæ Virginis . Nec me latet quanta vi conentur ex aduerso disputationes hunc locum ad actualia tantum peccata restringere , cùm tamen absolute dixerit B. Augustinus : Cum de peccatis agitur , & adiecerit : nullam prorsus Volo habere quæstionem : Et rationem adiiciens dixit : iam enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuit . Non dixit opinor : nec dixit , scio , sed scimus : innuens hunc debere esse omnium Catholicorum sensum . Et declarans vnde hoc sciret , subdit : eò quòd concipe-

re illum meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hic, quæso, diligenter attendat quisquis contradicit putans B. Augustinum solum modo sensisse de actualibus peccatis. Quæro enim ab illo cum de Christo ait: quem constat nullum habuisse peccatum, loquitur de actualibus tantum? absit. Hæc igitur ratio quæ utrumque peccatum & actuale & originale à Christo excludit, vrget pariter ut utrumque à Matre per illum excludatur. Si enim immunis ideo dicitur ab actuali, quia ipsa meruit illum concipere & parere, qui venit tollere actuale, cur non ab originali similiter immunis dicatur, cum illum meruerit concipere & parere qui debuit tollere etiam originale, immo ipsum maximè? Certè vrget prorsus hæc ratio. Tali enim argumento vtitur B. Augustinus vbi illam vindicat ab incineratione, & perfectam eius resurrectionem adstruit. Decens fuit, inquit ille, ut esset integraliter viuens, quæ omnium integrum, perfectamque genuit vitam. Ita hoc in loco, decuit immunem esse ab omni prorsus peccato, quæ meruit illum concipere qui nullum omnino habuit peccatum.

Denique accipe totius huius sententiaz rationem: Propter honorem Domini, inquit, nullam prorsus volo habere quæstionem. Ad honorem ergo Domini pertinet immunitas B. Virginis à peccato. Quanta

igitur est quorundam Spinarum infiditiae , qui non verentur prædicare hoc ipsum honoris Domini aduersari? Quid, rogo, cum istis agas ? Quis enim non dilucidè videat , si ad honorem Salvatoris attinet saluare ; magis saluare etiam magis ad eius honorem tum attinere , cùm res digna maiori salute proponitur ? Quis autem neget constituere immunem ab omni genere delicti B. Virginem per Filij merita , esse magis illum & illam honoreare , quām si constituatur tantum immunitatis ab uno ? Poteritne quisquam reperiri erga Filium tam parum pius , vt negare non reformidet Matrem Dei dignam fuisse summum salvationis gradu , quæ ipsam veram vitam & salutem mundo effudit ?

Quod verò contradicentes aiunt , suscep- tam ibi de actualibus tantum cum Pelagio disputationem , falsum est omnino . Si quidem prima , ac maxima cum illis quæstio reuera erat de originali peccato . Nam de a-ctualibus obiter sermo , vt iam diximus , propter ipsum originale incidit : quod quidem peccatum negabat ille hæreticus . Quādo item obiciunt non posse dici Sanctos peccatum Originale habere , cùm iam essent ab illo per gratiam liberati , ostendunt profectò quām somnaculosè Scripturas , & B. Augustini , aliorūque veterum loquendi morē considerauerint , qui reliquias eius peccati post gratiam etiam in Sanctis remanentes , peccatum vocant . Vnde & illa Scriptu-

ra : si dixerimus quia peccatum non habemus ,
 quæ procul dubio complectitur omnes (ut
 vult B. Augustinus) etiam pueros , non de
 actualibus solùm peccatis vera redditur , sed
 & de originali : imò propter ipsius originalis
 reliquias id dictum est . Nam sinè actuali po-
 test homo , testibus B. Hieronymo , Augu-
 stino , & Thoma , pro aliquo saltem tem-
 pore immunis esse : & ideo pro illo tempo-
 re posset dicere : peccatum non habeo , &
 tunc falsa redderetur illa sententia . Quapro-
 pter eius veritas in originali peccato salua-
 tur , sicut & ipse B. Augustinus aliquibus in
 locis , & alij multi dictum illud accipiunt .

Neque verum est quod isti aiunt , nobis
 iam aduersus hoc peccatum nullam esse
 pugnam , quin potius aduersus illud assidue
 est nobis , donec destruatur , colluctatio . Nā
 propter illud , idest , illius reliquias maxi-
 mè in nos ingruunt à multis miserijs tenta-
 tiones , quas omnes ob eximiam gratiam Vir-
 go illa absque ullo sui detimento deuicit .
 Porro opinio Magistri sententiarum aientis
 hanc Augustini sententiam , intelligi debere
 veram , ab eo tempore quo illa Filium suum
 concepit , à B. Thoma non recipitur , nec
 reuera est recipienda : quia violat litteram ,
 & Christi gratiam in illa præsertim coarctat ,
 si de actualibus loquitur . Vnde simpliciter
 est intelligenda , non solùm respectu omnis
 temporis , ut fatetur D. Thomas , Bonaventu-
 ra , & communiter omnis schola : verum etiam

respectu omnis peccati, vt recte sentit ipse
Magister.

Adde, quod si immunis ab Augustino dicitur B. Virgo ab actualibus, necesse est iuxta eiusdem doctrinam, etiam illam ab originali fuisse immunem: quoniam illud in confessio erat apud omnes, vnum quemque puerum, qui peccatum originale contraxisset, actuale quoque grandioris ætatis accessu commisisse: vnde ait: Propterea nullus hominum præter Christum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu: quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit grandioris ætatis exorsu: hæc ille. Quæ doctrina est b. Ambrosii, & priscorum Patrum, qui eo tempore non cogitarunt, vt de hac Virgine gloriofa quidpiam ex professo definirent, nisi istud in b. Augustino, pro nobis nimis: Cùm de peccatis agitur, eam semper esse propter honorem Domini excipiendam.

Verum producunt ex Psalmista ipsum b. Augustinum quasi dicentem Adam mortuum esse propter peccatum, & item b. Virginem propter peccatum; cùm tamen non dicat similiter illam mortuam propter peccatum, sed propter peccatum Adæ. Hoc autem quis negat? Si enim Adam non peccasset, nec Christus, nec illa mortua fuisset: quæ tamen in Christo non quia peccauerit mortua est, sed vt Ecclesia sancta in oratione Secreta, cùm eius Assumptionem celebrat,

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 133
testatur, pro conditione carnis, quæ corup-
tibilis erat, migrauit.

Accedit in super & ciusdem b. Augustini
subtilis quidem atque elegans consideratio
pro illa Virgine & conclusio, quam perfe-
cta resurrectione cum Filio perfrui in cœlis
defendit. Nam omnes rationes quas artulit
acutissimus ille Doctor, ut vindicaret cor-
pus illud b. Virginis à corruptione, nō minus
illam vindicant à corruptione animæ, qæ
est per peccatum. Est autem prima ratio
ciusmodi: Potuit, inquit, Deus eam serua-
re ab ea corruptione alienam: ergo voluit.
Si voluit, ergo fecit: quoniam hoc perti-
nebat ad eius benignitatem impendere hunc
honorem Matri suæ. Quòd si quis conse-
quentiam priorem neget, reddat, inquit ille,
rationem cur Deum id noluisse existi-
mandum sit. Attendant, obsecro, hoc in lo-
co aduersarij. Iudicauit enim pius ille &
prudens Doctor satis esse ad illud priuile-
gium suadendum pro Matre, illam esse Ma-
trem Dei ostendere: & quod erat possibile
Filio præstare Matri, ut continuò illud præ-
stitum censeretur, nisi ex aduerso probaretur
indecens. Hoc idem prorsus & nos dicimus.
Ostendant ergo indecentiam aliquam isti
qui tanto zelo sese nobis opponunt. Id cer-
tè numquam præstabunt, nisi velint Filio
simul ac Matri apertè detrahere. Quod per-
tinere ad illos certè non dicam, sed ad eos
solos qui sunt Satanæ serpentis semen.

Altera B. Augustini ratio erat, quod B. Mariæ gratia debuit superare naturam. Diuinitatis enim, inquit, opera sunt hæc quæ dicimus: & ideo probabilia, quia ab omnipotencia. Sic & nos quoque dicimus: si gratia continuit corpus contra illius naturam præseruando ne corrumperetur, cur non eadem gratia præuenerit etiam contra communem naturam, ne anima illa alioqui peccati labem contractura, non contraheret tamen? Nónne magis debuit seruari anima à peccati labo, quam corpus à corruptione?

Adiecit ille Sanctus: illud sacratissimum corpus de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, vt Verbum caro, hoc est, Deus homo fieret, escam vermis traditum in communi sorte putredinis, & futurum de vermis puluerem, quia sentire non valeo, dicere perhorresco. In hunc igitur modum ego à tanto viro pro zelo fidei meæ (quamvis admodum exiguo) edocitus, nec sentire (fateor,) valeo, & dicere perhorresco, animā illam sacratissimam, quæ cum Christi anima perfectissimo charitatis nexu cōiuncta, una anima dici potest, simul cum sacratissimo illo corpore, quod item vnum cum Christi corpore meritò censeri potuit, per quodcumque momentum fuisse vñquam diaboli escam. Quod necessariò hi admittere coguntur, quicumque illam sub originali peccato

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 135
constituunt. Imò tantò est horribilius sentire animam Mariæ fuisse escam Diaboli, quām corpus illius escam fuisse vermium: quanto anima citra ullam comparationem est caduere præstantior, & quanto Diabolus antiquus serpens cunctis est vermis longè fœdior atque execrabilior, qui solus à Domino inter omnes terræ bestias maledictionem accepit. Et vide, quæso, prudens lector, quomodo nihil motus est B. Augustinus vel ab ea Scripturæ sententia: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: Psal. 15. v. 10. quæ ad singulare videbatur Christi priuilegium pertinere. Nec item ab alia quæ uniuersum genus humanum completitur, *Puluis es & in puluerem reuertaris*: Genes. 19. Existimauit enim, (vt ipse palam declarat) priuilegia Filij etiam Matri debuisse per illum communicari, vt non minus ille fuerit beneficus Matri & Sponsæ suæ primariæ; quām sint in suo gradu terrarum Principes, vt habetur in ipsorum legibus. Dixit enim Iurisconsultorum quidam: Princeps est solitus legibus: Augusta quidem non est soluta, ipse tamen Princeps eadem illi priuilegia tribuit, quæ ipse habet. Hoc Regem Regum Filiae, Sponsæ, ac Matri suæ fecisse, quis potest, nisi durus nimium, & omnis humanitatis expers non libenter admittere?

Quapropter eò iam tota res rediit, vt vix ullam habeant opinionis suæ excusationem. Nam si rationibus eam patiantur agi-

tari, non poterunt ipſi vnum reddere pro mille. Quæcumque enim ipſi afferre posſunt, vno verbo resoluuntur, imo in illos re-torquentur. Si autoritas veterum Patrum inquiritur, & non de prima facie conſiderentur ſententiæ, nihil continent quod illis aſtipuletur. Nulla quippe fuit apud veteres de hoc dono & gratiæ priuilegio vñquam inquisitio vel controuersia: ſolum in fidei fundamen-tis iſſitebant contra hæreticos, ne naturæ vitiam, & necessitas gratiæ Chriſti negaretur, & illius perſonæ summa ab omni peccati labo libertas, ſummâque in-no-centia, & gratia ad liberandum cunctos idonea. Si firmiter hæc iſtabant, nihil ſupererat ad diſceptandum contra vllos hæ-reticos: quin potius ſi nolint iſti contentioſe diſceptare, nonnumquam pro nobis om-nino ſtatuunt, cum nihil fit post Christum priuilegiij quod beatissimæ eius genitrici li-benter non tribuant omnes Sancti.

Quod autem dum ſolum Christum à peccato excipiunt, eum habuerint intelle-ctum, quem ſuperius expoſuimus, videli-cet illius p̄cipuam ac diuinam immuni-tatem intelligentes, quam nec Angelis, nec ipſi B. Virginī tribuimus, ſi oporteat ad-huc aliquantò vberius comprobare, vel ex his iplis testimoniiſ quæ aduersarij indu-cunt aduersum nos poſſumus efficaciter demonſtrare. Dixit B. Ambroſius (ut ſu-perius recitauiimus) ſolus per omnia Do-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. V. B. 137
minus Iesus contagia corruptelæ immaculati partus nouitate nostra sensit & cælesti maiestate depulit. Quod ait : Per omnia, quid est aliud quam eum neque de facto, neque ex merito vello maculam ullam sensisse, idque ob immaculati partus nouitatem, qui non humano more, sed Spiritus sancti opere conceptus & natus est? Vnde & cælesti maiestate sua depellere potuit hæc contagia etiam ab aliis : quanto ergo magis à sanctissima ista Virgine, & Sponsa, & Matre sua? Non enim fas est illam dicere talem, quæ contagia corruptelæ à se sua maiestate depulerit. Christus ipse depulit, ne illam omnino constringerent. Vide quam eleganter imprimis nobis fauet B. Ambrosius.

Nunc audi Magnum Gregorium, qui tractans illud Job 18. vers. 19. ait : *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia. Ac si apertè dicat, nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus existat, tamen nigredine mundi collectus æquari ei potest, de quo scriptum est : Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei : Luc. i. vers. 35.* Nos quippe et si sancti efficimur, non tamen sancti nascimur : quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut cum Propheta dicamus : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea : Psal. 50. v. 6.* Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui ut ipsam naturæ

conditionem corruptibilis vinceret , ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est: hæc ille. Considera verba , acute & pie lector. Nos , inquit , sancti efficimur, non nascimur. Non dixit, non concipimur, ut isti volunt , sed non nascimur , altiorem nobis sensum reddens quām isti apprehendant. Accipit enim hæc duo velut opposita, effici sanctum, & nasci sanctum : Et hoc postremum velut proprium Christo tribuit: Illud verò ut proprium ceteris. Quo fit, ut iuxta hunc elegantem & altissimum sensum dicere nequaquam liceat B. Virginem natam sanctam , cùm reuera effecta sit sancta. Nec de Christo rectè dicitur, quod effectus sit sanctus sed natus. Nasci enim sanctum, significat illum non extrinsecus accepisse sanctitatem, sed in se ipso habuisse cum natura coniunctam : & hoc quia de Spiritu sancto conceptus est, qua conceptione humana eius natura deificata est. Sic enim conceptus est ut fieret Deus homo : & ita homo nascendo Deus prodiret. Hoc & apertiū etiam docens subdit sanctus ille Pontifex : Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere : aliud vnum singulariter per diuinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodiisse. Nec æquari potest gloria Vnigeniti habita per naturam, aliis accepta per gratiam : hæc ille, Quid poterat dici clarius ad exprimendum sensum illum , quem si nostri disputationes

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 139
ab initio perspexissent, forte non tam gra-
tis controuersiam contra priuilegium B.
Virginis aluiissent.

Hunc sensum Albertus magnus apud
Lucam luculenter declarans, admonet illa
Angeli verba: *Quod ex te nascetur sanctum,*
quaꝝ peculiariter de Christo intelliguntur,
non ad conceptionem esse trahenda, sed ad
natiuitatem: quaꝝ etiam singulariter sancta
fuit in Christo.

Hunc ipsum sensum protulit B. Athana-
sius, qui de natiuitate Domini & sanctitate
sic ait: Christus singulariter sanctus erat, &
in hoc ab aliis sanctis in sanctitate dissimi-
lis, quia sanctitatem simul cum natura
suscepit. *Quid est simul cum natura, nisi*
quòd illi connaturalis facta est sanctitas
propter excellentissimam illam vnionis
gratiam?

B. Item Hieronymus, ea *psal. 142.* verba
tractans: *Non iustificabitur in conspectu tuo*
omnis viuens, sic exponit: Non ait omnis
homo, sed omnis viuens, id est, non Euan-
gelista, non Propheta: ad maiora consen-
do, non Angeli, non throni, non dominatio-
nes, non potestates, ceteræque virtutes. So-
lus Deus in quo non cadit peccatum, ab
Apostolo solo iustus dicitur & solus im-
mortalis; non quòd Angeli iniusti sint &
mortales, sed quia ipse ita sit immortalis &
iustus, cui collata vniuersa iustitia iniquitas
inueniatur. Hæc ille gloriosus Doctor.

B. Item Ioannes Chrysostomus illam cuiusdam dæmonis confessionem apud Euangelistam ; *Noni quod sis sanctus Dei,* simili modo exponit dicens : Sanctum dicit eum, non unum de pluribus , quia & sanctus erat unusquisque Prophetarum : sed unum esse denunciat , &c.

Hoc vidit & B. Gregorius Nicenus , qui sic ad litteram de Christi nativitate scripsit. **D**e nativitate, inquam, non de conceptione: solus hic partus masculinus spiritualiter esse conspicitur, qui nihil de feminineitate culpæ portauit : Hæc ille. Itaque partus aliorum omnium, etiam B. Virginis, quamvis sanctificata fuerit, de feminineitate tamen culpæ suapte natura aliquid secum portauit ut pura Dei creatura, &, ut inquit B. Thomas, saltem potentiam à peccato non immunitis. Vnde indiguit etiam atque etiam per gratiam mundificari ac purgari. Si quidem & Angeli assidue coram Deo luce eius & calore purgantur , qui tamen nunquam naturam debito peccati fuerint obnoxij, sicut nos. Quocirca apud B. Iob, cap. 15. *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis: & cœli non sunt mundi in conspectu eius.* Hunc locum exponens B. Gregorius de Sanctis Dei , adjectit: qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent , sed dum immutabili Veritati studiosè semper inhærere desiderant , inhærendo agunt ut immutabiles fiant. Legat cetera cui pla-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 141
cuerit, quæ mirificè fauent intelligentiæ nostræ quæ non est nostra, sed è medullis eruta Scripturarum à priscis Patribus, ad quam aptandæ sunt etiam aliorum Autorum sententiaz: quale est illud dictum sancti Leonis Papæ, solum Christum non habuisse contagium, quippe qui aliam habuit naturam, nulla expiatione à contagio indigentem: quia solus de Spiritu sancto conceptus fuit. At B. Virgo ex se ipsa naturam contagio obnoxiam habuit: quod ipsa reparatio ac redemptio quam confitemur, perspicuè probat.

Quamobrem veteres sancti Patres nullam vñquam inter conceptionem & nativitatem fecerunt distinctionem. Queinadmodum enim Christi conceptionem ab aliis diuersam ponunt, ita & nativitatem quantum attinet ad immunitatem peccati. Non est ergo mirum si præ illa Christi nativitate, etiam ceteri qui nati sunt sancti non absque illo peccato nati dicantur, à quo non ex se liberi, sed ab alio liberati processere. Et B. Anselmus permittit suum discipulum expressè dicere b. Virginem nedium conceptam, verūm etiam natam in peccato Originali, quam sententiam contra nos inducunt, cùm pariter in ipsos retorqueantur; siquidem natam illam confitentur sine peccato. Sed nihil est quod non inficiant suis glossis exponentes natam, id est, conceptam, nec vident tam claram battalogiam.

Alij verò interpretantur Originale peccatum, id est, fomitem. Quid hic agas bone lector, cùm nihil sit eò usque absurdum, quod isti non sibi permittant, qui nec secum constant? id autem quamobrem? quia certè semel aberrarunt à via, & postquam res in contentionem deducta est, iam conuenire cum reliqua Ecclesia, & ipsam rei naturam dispicere subterfugiunt, qua sola dispectione ab omnibus se liberarent ambagibus & angustiis, nec tantum Ecclesiæ Dei negotium exhiberent. Nec enim exigua est culpa aestimanda, ita gratis sollicitare Matrem suam.

Illud denique superest ad Doctorum veterum sensum certissimè coniestandum, ea quæ circa hoc dixerunt, & aduersarij contra nos obiectant, fuisse ab illis dicta tanquam certissima, & ad fidem pertinentia, ut qui contradicerent, fidei fundamenta cueterent, ac propterea deuitandos esse, & ut deprehensos hæreticos detestandos. Hoc autem nemo potest nunc asserere, nisi forte aliquis Spina, aut merè fatuus, aut verè detestandus hæreticus. Consideret hæ sancta Synodus veritatis amatrix & claudat istorum os, & tollat audaciam insignem, & impudentiam.



RATIONES ALIQVOT CUR SCHOLASTICORUM opiniones circa hanc materiam non sint sequenda.

HA CTENVS ostensum abunde puto priscos Patres minimè nobis aduersari. Nunc illud solummodo istis restat, quod plurimi Scholasticorum illa ætate, quâ floruerunt B. Thomas, & B. Bonaventura, & alij qui varias scholas condiderunt, vnde Thomistæ, Scotistæ, Occhanistæ, Nominales, Reales, & si qua sunt alia discretionis Sectarum nomina, aduersariorum opinionem ut veriorem probauerunt. Verum prouidit Dominus ne horum autoritate, ulterius multis atque urgentibus rationibus persuasi deterreamus. Volo autem hic præmittere aduersariorum lepidam astutiam, qui ad augendum suorum Doctorum numerum multos in suam nomenclaturam referunt & citant, quorum nomina iamdudum sunt cum lucubrationibus suis obliterata. Multi etiam non cum assertione locuti sunt, & paucissimi eorum in hanc venerunt dementiam & arrogantiam, ut hanc sententiam nostram assererent esse hæresim damnatam: quod isti Spinæ tam arroganter contra Apostolicum Sixti decretum faciunt. Quod si quidam

illorum veterum, & præclarissimorum Doctorum etiam assertiuè locuti esse videantur, tales nos autoritatem (cùm illorum tamen honore & bona gratia) hac parte iam cum vniuersa Ecclesia consentientes, non sequimur, idque magnis (vt paulò ante diximus) rationibus persuasi, quarum aliquet nunc proferemus.

Prima igitur ratio est, quoniam si illos sequeremur, videremur derogare gloriæ Christi, & Matris eius, quod illi Sancti penitus nollent, cùm pro illa gloriose certauerint, quam suæ ipsorum gloriæ semper anteponi volebant. Nunc autem tantò magis cupiunt, quanto ipsis oculis certius veritatem certissimè conspiciant.

Præterea, si illos sequeremur, à sensu Ecclesiæ procul dubio declinaremus, quæ dum hanc singularem Virginis prærogatiuam, in ipso cultu diuino profitetur, vel in hoc ipso suam fidem ostendit, quam omnes gloriosi Doctores æmulari perpetuò studuerunt: quod vel hoc in loco ex illorum disputationibus facile colligi potest, vt inferius, Deo largiente, perspicuum faciemus.

Tertiò, si illos sequeremur, videremur eorum probare rationes, quibus tunc ad sustinendam illam opinionem mouebantur. At cùm hæ rationes nihil faciant aduersum nos, sed connertantur & militent manifestè aduersus illos, vt iam superius latè, clarè, atque

atque aperte demonstrauimus longè iustius est, ut relictis illis, si veritas potius sectāda est, iuxta illorum rationes concludamus. Maxima illorum ratio quā concedere hoc priuilegium B. Virginī reformidabant, erat, ne derogaretur Christo, & negaretur ipsius redemptor. Cūm autem patet factū iam sit tantum abesse ut derogetur, ut plurimū arrogetur: & tantum item abesse ut negetur eius redēptor, ut etiam nobilior asseratur pro Matre sua Redemptor; meritò nullum iam pondus autoritatis videmus, cū eorū rationes, quibus ipsimet opprimuntur, hac parte mirificè talem sic eleuent autoritatem, ut oppositam stabiliant veritatē;

Quartō, Iam perspicuum redditum est illos Doctores germanum Scripturarum sensum, & sanctorum Patrum non attigisse, nec propterea vituperandos esse. Non dum enim aperta erat rei veritas, quæ per disputationes solet elucescere. Necdū illam Deus per miracula & revelationes manifestauerat, nec tanto concursu populorum & Magistrorū & Vniuersitatū celebrabatur. At nunc omnes illam libētissimè vltro amplectuntur, quicunq; non sunt addicti sectis.

Quintō, Nō mouemur horum autoritate, quos in huiusmodi, de originali peccatodisputationibus non videmus constantē tradere doctrinā, sed obscuram, & sibi ipsis in multis aduersantē. De his loquor qui huic sententię sunt aduersati. Etenim (& id sanè

accipi promiraculo potest) quod attinet ad hunc articulum , fateri necesse est B. Thomam nostram aliquando admisisse sententiam, cum dedit Virgini eam puritatem, qua sub Deo maior non queat intelligi , & eum gradum quo esset propinquissima Christo. Nunc addo & eundem in expositione Salutationis Angelicæ ubi dixit: Ipsa enim purissima fuit quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit : Ita enim in multis cœdibus antiquis communiter legebatur, quod non est ausus etiam ipse Turrecremata inficiari. Addo insuper , cum illam immunem ab omni actuali facit in tota vita, istam solummodo rationem affert : Alias, inquit , non fuisset idonea Dei Mater. At haec ipsa ratio non minus virium habet contra originale peccatum, ipse enim corroborat eam rationem quatuor mediis. Primum est, alioqui ignominia Matris redundaret in Filium. Secundum est , singularis affinitas, qua alligabatur cum Filio cui erat carnem datura. Quapropter longè ab ea debuit esse peccatum , quia scriptum est: *Quæ conuentio Christi ad Belial?* 3. Cor. 6. Tertium , singularis inhabitatio Christi in illa corporaliter. Vnde prædictum fuit: *Non habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1. v. 4. Quartū authoritas illius Scripturæ: *Tota pulchra es:* Cant. 7. cuius implementum desideraretur, nisi hic in aliqua persona

PRO VERIT. IMM. CONCEPT.B.V. 147
verificaretur perfectè:cui adiūgitur Eccle-
sia sanctæ autoritas in illo sensu ad B. Vir-
ginem applicantis. At hæ cunctæ ratio-
nes non minus , imò magis concludunt de
originali, quām de actuali peccato (ve-
niali tamen) cùm illud multò maioris sit
ignominia , & maiorem constituat affini-
tatem cum Belial , & magis subditum cor-
pus reddat peccato , maiorēque macula
foedet animam , cùm faciat hominem ini-
quum, impium, impurum, Deo inimicum,
captiuum denique diaboli & peccati, ad
quod expiandum oportuit pati Filium Dei
& crucifigi. At nihil horum fit à veniali ,
quod stat cum pietate & amicitia Dei. Præ-
terea , Ecclesia illam Sponsi vocem : *Tota
pulchra es, aptauit iam non solum ad actua-
le peccatum ; verūm etiam ad originales :*
imò ad originales peculiariter , vt patet in
in diuino Officio ab ipsa Romana Ecclesia
ordinato , & in solennem cultum recepto.
Et cùm ita sit, isti tamen disputatores adeò
peccatum Originale suis exquisitis distin-
ctionibus extenuarunt , vt penè suaserint
imperitis nihil mali esse, perinde ac si ludus
aliquis sit, sub ira Dei constitui , & manci-
pium esse diaboli. Verūm multa sectarum
affectione dicuntur , quæ alioqui nec som-
niarentur.

Sed aiunt inepti quidam: Quando B. Vir-
go concipiebatur, non erat tum Dei Ma-
ter cui honor deberetur, Quasi vero , tunc

esset Dei Mater cum erat in utero, & tamen sanctificabatur, nec propter aliud, D. Thoma teste, nisi quia futura erat Dei Mater. Cur igitur & hanc præseruationem tantæ maternitati non donent? Verè non erat tunc Dei Mater, sed electa erat ut esset, & à Filio suo electa. Te hic conuenio, & obnoxè rogo, ut paulisper semota omni affectione respondeas: Si datum tibi esset ut matrem posses eligere qualem velles, immo ut eam posses ipsemet fabricare, fabricarésne habentem maculam, an non habentem? si ais habentem maculam, crudelis es & amator sordium. Dices: iustitia hoc exigebat ut talis conciperetur. Et nos obijcimus: iustitia etiam exigebat ut talis nasceretur. Cur ergo non talis nata est? Hic te medium teneo. Et addo: Si iustitia queritur, & nos in iustitia nitimur, quia Christus hanc præcessam pro Matre sua meruit liberationem. Ita igitur de illo cogita qui iuste poterat hoc priuilegium suis meritis imputare, & ab initio donare Matri suæ. Quid est enim tam grande quod passione suâ non obtinuerit? Si igitur in hoc dono salua fuit iustitia: quomodo putas defuisse misericordiam? Considera hæc, rogo te, qui stas ex aduerso, & sedato animo recognosce, non in contentionē repositam esse veram gloriam, sed in veritatis agnitione ac defensione. Ego enim, vel ipso B. Thoma teste & iudice, non minus etiam quam tu hac parte

B. quoque Bonaventura quamuis putaret illam in originali peccato conceptam, attamen multa dicit ad eius gloriam, etiam celebrationem Conceptionis eius defendens, quæ certè cum peccato illo non possunt cohaerere. Quin ipse libenter ei concedit quidquid nō derogat Scripturis & gloriæ Christi: ut si piè sapimus, tacitè spiritum quemdam in eis fuisse intelligamus, qui deprecabatur intus pro veritate. Misum facio quod de illo fertur, prope mortem ea retractansse quæ contraria scripsérat. Quod mihi quidem non est incredibile, tametsi ingenuè fatear, nisi legítimè ostendatur parum in disputationibus habere momenti.

Idem dixerim de Alexandro de Hales illius præceptore, quem testatur magister Guillelmus super 3. sentent. similiter recantasse, & eius hac de re libellum extensum fuisse Tolosæ, dum eiusmodi quæstio ibi disputaretur. Verum cùm minimè ignoremus ad conuincendos contentiosè resistentes hæc adduci in disputationem non oportere, non iam ad eum fidem ista commemorauimus: sed in eorum gratiam potissimum qui benigniori sunt animo, & ita paratores atque promptiores ad credendum quæ incredibilia non sunt: *Charitas enim omnia credit, ex congaudet veritati*, vt ait Apostolus, 1. Cor. 13. 6.

Albertus magnus ea similiter dixit de gloria Virgine, quæ certè illi conuenire non possunt, si ullum habuerit umquam peccatum. Hæc eius sunt verba: Sanctissima est caro B. Virginis, quæ nunquam admisit aliquid sanctitati contrarium. Omnes alij sancti admirerunt aliquid sanctitati contrarium.

Henricus quoq; de Gandaio in Quodl. art. 13. statuit, quam citò B. Virgo sanctificari potuit, eam fuisse sanctificatam. Hoc nos dicimus: Quid autem prohibet dicere in primo instanti animam illam fuisse sanctificatam?

Sexta ratio est non esse mirum turbam multam Doctorum in eam tali tempore conuenisse sententiam: Nam plurimi in autoritate suorum Magistrorum innibantur, interdum quidem clausis oculis, nec aliud adhibentes iudicium. Nonnumquam verò (quod multò est deterius) affectione improba ac pertinaci, qua imbuti, et si multi sint numero, tamen pro uno tantum teste habendi sunt, & illo quidem adhuc suspecto. Nam cùm hoc in suis legibus habeant, ut quidquid eorum magister, & autor dixerit, obligentur defendere, factum est ut minus idonea sint ipsorum testimonia, quæ non esse libera constat, sed addicta. Fatere mi Frater, fatere ingenuè veritatem: nec eum odio prosequi velis, qui tibi eam amicè ante oculos ponit.

Hic addam in citandis autorum sententiis eos sæpenumero non fideliter citare, tanta est affectio & cupidus victoriae, non veritatis: quod & latius in aliis Opusculis nostris prodidi. Hic uno aut altero contentus ero exemplo. Ecce afferant B. Ambrosium contra nos in Psal. 108. in hæc verba: Venit Dominus in carnis quæ peccato in Matre fuerat obnoxia: sic citat Caïetanus. Hæc non sunt B. Ambrosij verba, sed ista: Solus est (de Christo loquebatur) quem retia nō inuoluerunt peccatorū. Omnes intrà retia erant, imò extra retia sumus: quia nemo sine peccato nisi solus Deus, quem non cognoscentem peccatum, peccatum pro nobis fecit Pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum non in peccato, in quo erant omnes homines, sed in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro secundum illud: quia hereditario erat damnata maledictio. Peccatum erat illecebra & ministra peccati: venit Iesus & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit: hæc B. Ambrosius. Non ergo ait: in carne quæ in Matre fuerat peccato obnoxia, ut isti citant, sed ita; venit Iesus, inquit, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit. Vbi manifestè de carne Christi loquitur, quam ea ratione peccato obnoxiam vocavit, quia omnem peccati reatum in se con-

traxit. Vnde & Christum factum peccatum dixit, ut per passionem & mortem illo assumpto etiam peccatum extingueretur. Ipse enim carnem nostram in qua puniet delictum assumens, recte dicitur carnem peccato obnoxiam assumpisse. Non autem existim Caietanum hunc locum B. Ambrosij animo fallendi citasse. Hoc inquam de viro illo credere non possum: quin potius ipse falsus, recitauit bona fide eo pater, quo ab aliis qui contentiosè scripserant, scriptum reperit.

Accedit etiam & Robertus Olcot Ordinis nostri, quem in libro Cardinalis Turcrecretaræ his verbis loquentem producunt: *Sicut lignum plantatum in terra solidat terram ex omni parte, & per radices suas colligat & constringit ne defluat; ita Christus plantatus in Virgine Maria Matre sua, eam solidauit virtutibus, & gratiis sic constringit, quod nunquam defluere potuit per peccatum: fuit enim sic sanctificata in utero, quod emundata à peccato Originali fuit, & in ea fomes ligatus sic, quod nunquam eam ad peccandum inclinavit. Et haec fuit prima sanctificatio in utero matris suæ. Sed secunda fuit in conceptione Filij in qua fomes ablatus fuit secundum essentiam, & gratia superaddita, & inflexibilitatem libero arbitrio determinauit ad bonum, sic quod ex tunc nullo modo potuit in malum flecti.* Vnde tunc confirmata

PRO VERIT. IMM. CONCEPT.B. V. 153
fuit, sicut in via potuit. Hæc Robertus se-
cundum istos: & sic tandem legitur in
exemplaribus quæ recentius sunt prælo
excusa. At non sic habent vetustiora, sed
sic ad verbum: Istud lignum plantatum
fuit in terra benedicta, de qua dicitur: *Be-
nedixisti Domine terram tuam:* Et subdit;
Nam specialiter, singulariter, & appropria-
tè fuit benedicta. Et sicut lignum planta-
tum in terra solidat terram ex omni parte,
& per radices suas colligit & constringit
ne defluat. Ita Christus plantatus in Virgi-
ne benedicta Matre sua, eam solidauit vir-
tutibus, & gratiis sic adstrinxit, quod num-
quam defluere potuit per peccatum mor-
tale vel veniale. Fuit enim sanctificata in
vtero, ita quod mundata à peccato Origi-
nali, & in ea fomes ligatus sic, quod nun-
quam eam ad peccandum impegit. Et hæc
fuit prima sanctificatio in vtero matris
suæ: & ista sanctificatio fuit vera eius con-
ceptio. Nam quam citò B. Virgo habuit es-
se in vtero, tam citò fuit sancta. Non enim
potuit esse sancta antequam esset. Vera
ergo Conceptio B. Virginis attenditur, &
sumitur penes instans infusionis animæ in
corpus sufficenter & debito modo orga-
nizatum, nec non ab omni qualitate inor-
dinata quam constringerat, ratione propa-
gationis seminalis purgatum & emunda-
tum. Et sic patet, quod illo modo capien-
do nomen conceptionis strixè & propriè

B. Virgo non fuit concepta in peccato Originali: Hæc Robertus. Quæ si sic se habent, quid his clarius pro nobis? Verum unde cumque hæc variatio codicum acciderit, falsitas alicuius partis deprehenditur: & satis instruimur quod non temerè habenda sit fides huiusmodi contentiosis disputatoribus, qui iam non veritatem querunt, sed victoriam sophisticam. Quod certè etsi in omnibus turpissimum sit, potissimum tamen in his qui sanctiorem profitentur religionis vitam, & cùm agitur de re grauissima, nullo pacto ferendum est. Mitto quæ sæpenumerò quidam ex nostris qui hunc articulum tractarunt allegantes B. Augustinum de nativitate loquentem, nativitatem mutarunt in conceptionem, ne mens ipsius Doctoris pateret, quæ nostræ non aduersabatur positioni. Nónine est prorsus indignum hoc & iniquum? Et tamen non in uno, aut altero tantum loco factum, sed in plusculis hoc deprehendi. Nec propterea aduersam partem excuso, sed liberiùs accuso nostros: quoniam iustus primùm est accusator sui ipsius.

Septima denique ratio, cur autoritatem priorum hac parte non sequamur, hæc est: quoniam plurimi posteriorum, imò fere omnes non satis addicti, clarissimi & Catholicissimi Doctores, magnæ etiam pietatis & doctrinæ, cùm in alijs quæstionibus superiores sectari studeat, in hac dumtaxat,

aut saltem in hac præ cæteris securissimè ab
eis declinarunt, vt rectè possimus existi-
mare digitum Dei hic esse. Qui enim fieri
potuisset vt etiā celeberrimæ Vniuersitates
tanto consensu in vnam sententiam aduer-
sus antiquiores Magistros conuenissent,
quos ipsi tanquam suos Autores magni fa-
ciunt atque obseruant, si non certo per-
spexissent, hanc Deo monstrante de Dei Ma-
tre sententiam fuisse probabilem, piam, &
omni acceptione ac veneratione dignissi-
mam? Quis enim dubitare potest quin illi
ipsi priores, si nunc in terris nobiscum a-
gerent re iam per Ecclesiam patefacta,
quanto magis docti, & quanto magis san-
cti essent, tanto magis eam sententiam ul-
trò amplexaturos? Non quidem sectantes
alios, sed cunctos ipsi anteuerentes animo
multò promptiore ac propensiore pro glo-
ria Matris Dei. Sic solebat dicere Ioannes
de Fenario Doctor Parisiensis, & totius Or-
dinis nostri Generalis Magister, vir egregiè
doctus, & admodum acutus, & in doctri-
na B. Thomæ vix alteri cedens. Et cum res
ita se habeat, isti tamen Spinae in sapien-
tia, quam de scipis prædicant & admirantur,
magna securitate pronunciant, om-
nes qui circa hanc quæstionem aliter sa-
piunt quam ipsi doceant, indoctos esse,
aberrare in ipsis foribus, & (vt apertiùs ip-
sorum verbis loquar) fidei fundamenta
subuertere, & illos esse tandem quos ut hæ-

reticos detestandos B. P. Augustinus anathemati subdendos designat: hæc Spinarum portenta. Quocirca proferam de multis aliquos qui primò occurrerint huius sententia pro Dei Matre defensores, quos oportet fateri, si nostri Spinæ vera dicunt, tales esse, indoctos videlicet, & ita crassè in principiis aberrantes, ut fidei fundamenta subuertant, detestandâmque hæresim olim abolitam, denuò in Ecclesiam Dei reducant, & cultu divino etiam prosequantur.

Ergo in eorum numerum qui in hanc hæresim incurserunt, imprimis Ioannem Scotum includere illos oportet, cuius laus quanta sit in Ecclesia, & meritò, soli prauè affecti mente non conspiciunt. Quidam tamen astutè cum in suas partes trahere conati sunt, qui prudētissimè dixit: Illud omnino esse credendum, quod excellentius esset pro Virgine, nisi repugnaret vel Scripturis sanctis, vel Ecclesiæ. Supponunt autem isti sua virga censoria istud dogma cunctenter vtrique, id est, Scripturæ & Ecclesiæ repugnare. Quod quam falsum sit iam superius ostēdimus. Hoc certum est omnes eius Ordinis Minorum, & qui doctrinam Scotti tutantur, aliter eiusdem Scotti mentem interpretari, ut patet plus satis. Totum enim illum Ordinem diuturno iam tempore hanc doctrinam toto pectore amplexum esse ac tradidisse, quis ignorat? Licet securus

aliqui de antiquioribus opinati fuerint, in quorum numerum nonnullos etiam invitatos trahunt, ut Nicolaum de Lira, quitan men quid ipse senserit non expressit. Vbertinum item de Casalis, qui tamen manifeste contra ipsos pugnat: eius sic verba audiamus: Solos, inquit, defectus naturales, & quos tractabiles vocat Damascenus (quia defectus gratiae & scientiae non important) credo benedictum Iesum, reliquisse in sua sanctissima Matre, ut esset sibi planè conformis tam in innocentia, quam in poena: hæc ille. Mitto Petrum Aureolum acutum valde & egregium Doctorem, quemque facile possumus iudicare nulli sectarum addictum, qui tamen citra controuersiam B. Virginis prærogatiuam tenuit ac tutatus est, sicut & eius Ordinis plerique, immò omnes qui post Scotum in sacra Theologia profecerunt, & cum laude scripserunt.

Possemus & ex alijs Ordinibus ut Carthusianorum, Heremitarum, Carmelitarum, Servitarum multos adducere probatae pietatis & doctrinæ viros, qui ad has nostras partes accessere. Sed quid opus est priuatos aliquos proferre, cum iam ipsi integri Ordines, ipso facto, videlicet celebrando sub ipso nomine ac titulo Conceptionis, ut patet, Matrem ac Magistrum suam Romanam Ecclesiam sequendo, quam hac de re fidem habeant, plusquam manifestissime declarent?

Habemus & pro nobis Thomam Argentinatem Ordinis Heremitarum Generalem Præpositum, qui cum alijs rationibus ad hanc nostram sententiam amplexandam impelleretur; tum maximè (ut ipsemet testatur) in obsequium Romanæ Ecclesiæ ad ductus est, quæ manifestè tempore suo celebrabat eam Conceptionem, ut potè immaculatam & sanctam.

Possem & de Carmelitis Ioannem Bachon, & Michaëlem, & alios viros præclaros ejus Ordinis simul adiungere, & de Seruitis similiter. Verùm inuitus nimis in hanc descendo concertationem, quasi in numero testimiorum confidamus, cùm multò maiora habeamus & firmiora testimonia non iam hominum, sed Dei viuentis. Nam quòd ita commutata sit res, vt quæ erat olim opinio paucorum, & videbatur trepida, nec satis secura, nunc facta sit communis fere omnium sententia, & incedat adeò securè, confidenter, ac tutò, vt potius trepidet aduersa pars & nutet, & proxima iam sit casui ac ruinæ: vnde hoc quæso? Nónne miraculo haberí debet? Considera hæc, mi frater, considera & noli proteruire. Noli esse incredulus sed fidelis, ne indignetur Dominus qui superbis resistit, & stultos facit, qui sibi solis præ alijs tribuunt sapientiam.

Non præteribo tamen excellentis doctrinæ, infinitæ propemodum lectionis, in-

signisq; pietatis virum Dionysium Carthusiensem , qui nihil non legisse videtur , quēadmodum in numeroſissimis libris quoſ ipſe condidit appetet. Ipſe enim post nonnullam diſputationem hiſ verbiſ eleganter , nec minū sapienter conſlusit , in 3. ſent. diſt. 3. Verumtamen , inquit , quidquid in hac re ſit ſentiendum , non diſputationib⁹ con tentioſis , ſed determinatione Eccleſiæ Ca tholicæ , cui obediſ tenemur , eſt inqui rendum , quæ in nouiſſimo Concilio vni uerſali finem (vt dixi) diſſenſionib⁹ im posuit , & digniſſimam Dei Matrem in ſua Conceptione ab omni originali labe per præuenientem gratiam à ſummo capite Christo ortum habentem , præſeruatam , at que ideò festum de ea ſub nomine Concep tionis , & non Sanctificationis eſſe celebra du determinauit , ſicut & hodie celebra t. Ita etiam Ordo noſter Carthusienuſ obſeruare videtur. Hoc & mihi magis pium apparet & rationabile. Horremus enim mulierē , quæ caput ſerpentiſ erat contritura , quandoque ab eo contritam , atque diaboli filiam fuifſe Matrem Domini fateri. Inſuper & Dominam Angelorum ſeruā fuifſe peccati , atq; amantissimā Dei Patris Filiam , quādoq; fuifſe Filia iræ. Autoritates & rationes in cō trariū adductæ faciliter poſſunt ſolui. Nam conſtat puriſſimā Virginem à multis ſacræ Scripturæ reguliſ , quæ vniuerſaliter pro muuntur , fuifſe exceptam , vt eſt : *In dolore*

paries filios. Et : Multiplicabo erumnas & conceptus tuos. Item: Non est homo qui non peccet. Et : puluis es & in puluerem reuertaris, & similibus. Nec alicui hoc mirum videatur, cum piissimus Filius nihil omisisse credendas est, quod ad optimæ Matris suæ honorum spectabat, sicut ipse nobis iusserat honorare parentes. Contulit ergo Matri suæ quidquid potuit ac decuit. Potuit autem eam præseruare, & decuit eam præseruari, & ideo eam præseruauit. Nec in hoc Filij derogatur excellentiæ : quoniam ipse Dominus Iesus in peccatum Originale incidere non potuit. Maria potuisset nisi præseruata fuisset. Et Matri honor refertur utique in filium à quo habet quidquid habet : hæc ille. Quid his poterat verius, quid elegantius, quid pressius dici & copiosius ad satisfaciendum omnibus contradicentium argumentis ? Fuitne quæsto indoctus hic Dionysius, qui tot ac tanta scripsit volumina, quot vix ullus hominum legere in tota vita sua valeat ? Fuitne homo qui vellet euertere fundamenta fidei, ut isti Rabulæ & Spinæ obiectare non ventur, cui ad venerandam illius sanctitatis gloriam nihil deest, nisi sola canonizatio, tantæ fuit sanctimonie, & totius vita inculpatæ ?

Non me latet quid valeant ad maledicendum promptuli obijcere, nempe Dionysium Carthusianum determinationem Basiliensis

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 161
siliensis Concilij sequutum esse, quod dum illud statuit, erat acephalum. Ego verò respondeo, Primum, satis esse mihi, quod cùm tantus vir in hanc sententiam venit, eam esse contra fidei fundamenta ignoravit; ita ut nunc nostris dumtaxat Spiritis lumen hac parte datum sit ad agnoscenda fidei fundamenta. Deinde falsum est omnino, Dionysium sola illius Synodi autoritate motum fuisse, quasi captiuasset intellectum in obsequium fidei. Vedit enim & egregiè manifestauit probabilitatem opinionis ob excellentiam tantæ Virginis, vnde & rationes ad eam corroborandam affert irrefragabiles.

Præterea non est existimandum, nisi ab eis qui prauè affecti fuerint, eos talis siue Concilij, siue Congregationis viros (fuit enim Concilium legitimum ab initio) qui cum magna discussione, maturoque tractatu rem tanti momenti definiuerunt, eò usque mente excœcatos, ut non viderint contra fidei fundamenta se definire: aut si viderint, voluisse nihilominus fidem euertere.

Denique illud item animaduertendum, et si non fuerit eo tempore ibi autoritas Synodi, erat tamen autoritas viorum Doctorum ac Sapientum. Nec parui est momenti Concilium illud (quod ad hanc determinationem attinet) à nonnullis nationibus esse receptum, quódque magnopere est considerandum, non reclamante summo

Pontifice, & sede Apostolica minimè repro-
bante. At istud fieri omnino etiam expressissi-
ma sententia debuisset, si contra fidei fun-
damenta determinatio illa, vt isti arrogan-
tissimè iactant, militasset: præsertim vero
quod tunc legitimum habebatur Concilium,
& iam notum erat plausibilem omni
esse populo illam determinationem, pro
honore sanctissimæ Dei Matris. Itaque sce-
lerosissimè à sancta Sede prætermissum fuisset
illud quod ab ea debebat omnino prohibe-
ri, ne totus Christianus orbis præter unum
Prædicatorum Ordinē tanta labo inficeret-
tur, si Spinæ isti veritatem dicant. Verum
sainta illa Sedes quæ à Spiritu veritatis diri-
gitur, minimè potuit damnare quod & se-
cundum veritatem determinatum fuit, &
quod illa racitè iam receperat, & cultu di-
uino honorabat. Sapientissimè itaque siluit,
vt hoc solum, nimirum silere, minimèque
reprobare, intelligeretur à sapientibus, non
esse aliud quam consentire & probare: præ-
sertim cum in illa sententia sanctæ Roma-
næ Ecclesiæ usus & autoritas allegaretur.
Itane cœci sunt fratres mei, vt hæc tam cla-
ra non videant, quæ vel lippis patere
possunt?

Adiungam & Dionysio virum admiran-
dæ contemplationis Richardum de sancto
Victore, quem Spiritus sanctus de Scrip-
turarum mysterijs mirificè erudiuit & do-
cuit, qui & hanc de sanctissima Dei Matre,

habuit persuasione. Ipse enim tractas illud
Canticorū: *Tota pulchra es &c.* ita scripsit:
 Tota pulchra est meritò : quia pulchra facie
 fuit, pulchra mente, pulchra corpore, quæ
 etiam principibus tenebrarum terribilis
 fuit. Deterrebat enim eos flamma charita-
 tis , incendebant orationes, & feruor deuo-
 tionis , stupebant immunem à peccatis ;
 nemo enim tam sanctus qui maculam non
 habuerit, & defectum præter ipsam. Luna
 enim quæ nocte splendet, & stellæ non sunt
 mundæ in eius comparatione , id est , iij qui
 sanctitate vitæ lucent , vt luna, vel stellæ,
 obtenebrantur in eius comparatione. Ob-
 tenebrantur enim stellæ caligine humanæ
 culpæ, sed Beatissima Maria Virgo tota pul-
 chra , quam totam illustrauit & perfudit
 sol iustitiaz , vt nec maculas habuerit , nec
 tenebras culpæ: hæc Richardus ad literam.
 Quid hic dicant ? De originali enim macu-
 la loquitur manifestè Richardus , tum quia
 indistinctè loquitur , tum quia autoritatem
 ex B. Job assumit, quæ (vt exponit B Gre-
 gorius & Thomas) ad peccatum Originale
 refertur , cùm ait obtenebrantur stellæ in
 caligine eius: Neque verò humanæ culpæ
 caligo propriè potest nisi ad originale re-
 ferri.

Sunt & alia huius viri testimonia , quem
 testatur Durandus pro nobis assister , qui-
 bus nec aduersarij respondere valuerunt.
Capreolus eius autoritatem ponderans, au-

toritatem B. Augustini quasi illi aduersam obiecit ; eamque sic elisisse arbitratus est. Sed oportebat constare prius B. Augustinū contradicere , cùm secus se veritas habeat. Præterea, aliud est nolle cogi horum autoritate : aliud eos ita deprimere & conculcare , annumerando hos tantæ gloriæ viros inter in doctos , & eos qui fidei fundamenta subuertant.

Fuit & vir amplissimæ autoritatis B. Hildephonsus Hispanus , cuius verba Vincen-
tius in suo Histonali recitat. Beatissima Vir-
go , inquit , nisi in vtero matris sanctifica-
ta esset , minimè eius nativitas colenda esset.
Nunc autem quia autoritas totius Ecclesiæ
veneratur , constat eam ab originali pecca-
to immunem fuisse per quam non solum
maledictio Euæ Matris soluta est , verum e-
tiam benedictio omnibus condonata. Nul-
lis ergo quando nata est delictis subiacuit:
nec originale peccatum in vtero sanctifica-
ta contraxit : Hæc ille. Nec me item latet
quibus glossis tam claram sententiam dis-
putatores obscurare cōtentur : sed non est
operæ pretium respondere , ubi facile potest
per se cōique non omnino socordi in prom-
ptu adesse responsio.

Fuit & magnæ litteraturę Doctor, Domi-
nus Alphonsus Tostatus , Episcopus Abu-
lensis , qui in utrumque Testamentum am-
plissima edidit Cōmētaria. Et hic in B. Mat-
thæum scribens , manifestè nostram sen-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 165
tentiam probat, quamuis grauiter ijs suc-
censeat, qui ex contentione potius, quam
ex veritate huiusmodi dissertationibus in-
eoubunt.

Fuit & acutissimi ingenij, ac non vul-
garis doctrinæ D. Nicolaus de Cusa, Car-
dinalis, & hic in libro octavo Exercitatio-
num hanc sententiam ut piam, & Catho-
licam adeò extollit, ut fere nihil addi posse
videatur.

Fuit & antiquus & præclarissimus Doctor
Robertus Archiepiscopus Lincolniensis. Et
hic citra controuersiam nostræ sententiæ
astipulatur & adhæret.

Fuit & non mediocris autoritatis vir
Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis,
qui pro Matris Dei perpetua puritate atque
innocentia absque ullo prorsus scrupulo
disputauit, conclusit, & carmine non in-
eleganti eius laudes perstrinxit.

Fuit & Dominus Iacobus de Valentia,
qui quidem elegantissima Commentaria in
Psalmos edidit. Hic tanto spiritu hanc Do-
minæ prærogatiuam defendit & probat, ut
vix aliquid valeat ulterius desiderari. Vi-
deateum qui velit super Psalmum 13. &
Canticum *Magnificat*, & ita comperiet.

Extat & Gabrielis Bielis non contemnen-
di Theologis suffragium, qui non inelegater
hanc quæstionem pertractat, & aduersario-
rum iacula non ineptè retundit. Item Gil-
lelinus Pepin nostri Ordinis, qui in libro, De

DISPUTATIO
imitatione sanctorum sermonem peculia-
rem pro immaculata Virginis Conceptione
inseruit.


Fuerunt & alij diebus nostris qui egre-
giè in hæreticos scripserunt, & præclara
Commentaria reliquerunt, qui iam non vt
controversam istam pro Domina sentētiam
habuerunt; sed vt ab omni Ecclesia recep-
tam, probatāmque quasi attinentem ad fidei
pietatem, literis commendarunt. Inter hos
fuit (quem honoris gratia semper lubens
nominò) Reuerendissimus Dominus Ioan-
nes Roffensis, Cardinalis, inclytæ gloriæ
vir, cuius magna laus est in Ecclesia, cùm
propter doctrinæ sanæ & Catholicæ inte-
gritatem, tum verò propter martyrij istis
diebus perpessi claritatem. Item Dominus
Ioannes Maioris Scotus. Dominus Iodocus
Clycthoueus, vir claræ pietatis, qui etiam
plurima egregia scripsit Commentaria.
Dominus Albertus Pius Carpensis, vir acu-
tissimi ingenij, nec minus sapientia, quam
eloquentia nostro seculo inter sui loci viros
illusterrimus. Hic aduersus Erasmi pestife-
ram doctrinam scribens, qui videbatur hanc
Virginis prærogatiuam in suis iudicris te-
merasse, huius rei nomine, non quasi de
problemate dubio, vt in vtramuis partem
liceat inclinare, sed vt de re iam recepta in
Ecclesia meritissimè illum increpauit. Nec
ille vafer, & subdolus aliud ausus est hac
parte respondere, nisi quòd quæ protulit

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 167
contra priuilegium istud , non ex pro-
pria sententia protulit , cùm diuersum alibi
scripserit.

Addo Rodulphum Agricolam magnæ
eruditioñis ac doctrinæ virum , & Ludouicu-
m Viuem Hispanum , multæ literaturæ.
Hi ambo pariter non quasi de re ambigua
disceptantes , sed ut sapientes & religiosi
tanquam de re explorata , & comperta lo-
quentes , nullum dubitationis locum relin-
quunt. Addo & egregium Theologum
Ioannem Driedonem , qui similiter senten-
tiam nostram probat , & eleganter declarat.
Dominus item Ioannes Eckius Germanus ,
de religione Catholica aduersus nouos istius
temporis hæreticos extra controuersiam
bene meritus , peculiari bus concionibus il-
lam veritatem prædicat. Addo & Guillelmum
Budæum non solum in eruditione lin-
guarum peritissimum , sed in omni discipli-
narum genere virum magni acuminis & iu-
dicij , qui clare hanc nostram sententiam
probat : in libro quem inscripsit de tranſi-
tu Hellenismi ad Christianismum.

Non præteribo duos eorum qui viuunt
indefessi studijs , & multifariæ lectionis ,
multisque alijs nominibus præclaros An-
tistites , Dominum Aloisium Lipoinanum ,
Episcopum Veronensem , & Fridericum
Nauseam Episcopum Viennensem. Hic
enim manifestè hoc Matris Dei priuilegium
absque vlla titubatione defendit & prædi-

cat. Ille autem Veronensis quid momenti argumenta aduersariorum habcent minimè ignarus , sed veritati semota affectione ingenuè studens in sua Catena ad librum Genesis cap. 15. in hunc modum suo nomine testatum reliquit : Sunt autem, inquit, protectionis diuinæ diuersi gradus. Beatam Dei genitricem non solum ab omni mortali & veniali, sed etiam ab originali peccato protexit, vt B. Thomas super i. sentent. q. 44. art. 3. dicit, &c. Hos grauissimos Autores libenter citari, quia illos (vt pareat) colo & obseruo. Nec verò pro singulari modestia indignè ferent se cum citatis superius præstantibus viris esse commemoratos, qui potuerint quoduis seculum omni scientiarum & pietatis splendore illustrare : vt hi Spinæ paulò attentiùs se pungi sentiant, & considerent quos lacerarunt , & in quos transfixerunt. Quis enim patienter tantam iniuriam ferre debeat , fundamenta ab ijs ipsis audire subuerti, qui tantum abest, vt id aliquando cogitauerint vel cogitent , vt contrà nihil aliud tot sudoribus & scriptis procurarint, quam ut veros fidei Catholice sub iersores subuertant ? Sed non opus hic esse puto in exaggeranda tam insigni contumelia vberioribus verbis , cum non dubitem viros doctos ac pios tantam ignoriniæ uotam sibi inustam persensuros, & remedium præsentaneum iam adhibituros.



*DISCUSSIONE EPISTOLÆ D. BERNARDI
ad Canonicos Lugdunenses, quæ iam
non fauet aduersariis.*

NE quis autem pro illis B. Bernardi autoritate moueatur, quæ verè apud omnes magna esse debet (quamquam B. Thomas noster eius doctrinam non vbiique probat, vnde & nos possemus eam similiter hoc in loco declinare) attamen quia longè fortius in aduersarios, quam in nos militat, operæ pretium duxi eius mentem paulò diligentius ac subtilius discutere. Ingenuè primùm fateor, cùm aliquando illius ad Canonicos Lugdunenses legerem Epistolam, me fuisse deceptum, nec eius verum ac germanum sensum perspexisse. Quamobrem nunc manifestandum esse duxi necessarium, postquam in eo libro, quem Turrecrematæ adscribunt plus centies, opinor, hunc Autorem & eundem locum nobis obiectant, quem tamen potius nobis mirificè fauere patefaciam. Animaduertat igitur ante Lector, & amator virtutis: & si qua forte præoccupetur mala affectione, eam obsecro prius exuat, & facile tum probabit hunc sanctissimum Abbatem sententiam nostram & Ecclesiæ prorsus tueri. Fa-

temur primò illum asserere conceptionem Virginis non fuisse sanctam , & ideo non colendam. Id autem vni ca rationale probat: quia non de Spiritu sancto processit , sed modo hominum communi , quem esse immundum, & non sine peccato pro re constanti assumit. Imprimis autem excludere deceptionem curauit , si quis forte vellet præpostere sic argumentari. Natiuitas sancta, ergo conceptus sanctus: quod est ridiculum. Sed præstat ut eius verba adducam. Vnde ergo, inquit, conceptionis sanctitas, an dicitur sanctificatione præuenta, quantum iam sancta conciperetur , ac per hoc sanctus fuerit & conceptus, quemadmodum & iam sanctificata in utero dicitur, ut sanctus consequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse ; siquidem non erat antequam conciperetur. Haec tenus ille. Vbi querendum est de qua ipse conceptione loquatur. Ex hac enim sola intelligentia pendet apprehensio mentis illius deuotissimi Abbatis. Est namque (ut volunt) duplex conceptio , quarum prior est dum in coeundo semina coalent in utero ad generationem. Altera est dum elapsis multis diebus infanditur anima, & fit homo. Mihi autem nunc non est dubium B. Bernardum de prima conceptione locutum esse : quod patere faciemus , idque euidenter duabus potissimum rationibus.

Et Prima est: quoniam de ea conceptio-

ne manifestè loquebatur , cuius memoria erat anniuersaria illo die quo festum ipsum cœperat celebrari. At ille dies erat octauus Decembris , quo die fuit prunus ille conceptus Beatissimæ Virginis , quando coiæ parentes.

Secunda ratio est : quia de illa conceptione illum loqui oportet , quæ iuxta illius rationes non fuisse sancta conuincatur. Hæc autem non est nisi illa prior quæ fuit in seminum commixtione , & in ipso maritali complexu : vnde confessim subdit. An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit , vt simul & sanctificata fuerit & concepta ? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante , aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit ? Aut certè peccatum quomodo non fuit , vbi libido non defuit ? Nisi fortè quis dicat de Spiritu sancto eam , & non de viro conceptam fuisse : sed id haec nūs inauditum. Ecce quām manifestè hanc conceptionem intelligit quam maritales comitantur amplexus , & ex illa carnali copula confessim resultat.

Secunda autem conceptio quæ per infusionem animæ fit , à Deo est , qui animam creat & infundit , vbi nihil turpe fit nec immundum. Nulla enim ibi quatenūs est opus Dei , accedit noua immunditia. Vnde nihil valeret quod ait : quomodo sanctitas

potuit ibi se admiscere, vt simul sanctificaretur & conciperetur? Quid enim prohibet sanctificari hanc secundam conceptionem per infusionem animæ sanctificatæ? An quæso non potuit Deus animam creando, in eo instanti sanctificare, vt in eodem & sit, & sancta sit, ut potè creatum cum donis? si enim potuit sanctificare postquam creata est iam contracto peccato, quæ ratio fingi potest cur non similiter antea in ipsa creatione antequam ullam maculam contraheret, valuerit eam sanctificare? Non enim hic amplius obstant maritales amplexus, qui iam præcesserant; & idecirco conuenienter obstitisse dicuntur sanctificationi, in ipsa prima conceptione, quæ secum peccatum libidinis habere potuit, unde adiecit: Nisi quis dixerit eam non de viro sed de Spiritu sancto fuisse conceptam: quod inauditum est. Et addit: Lego denique Spiritum sanctum in eam, non cum cavenisse, dicente Angelo: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Et si licet loqui quod Ecclesia sentit, & verum ipsa sentit, dico Gloriosam de Spiritu sancto concepisse, non autem conceptam fuisse. Dico peperisse Virginem, non tamen partam à Virgine: alioqui ubi erat prærogativa Matris Domini, qua singulariter creditur exultare & munere prolis, & integritate carnis, si tantumdem dederis & matri ipsius? Non est hoc Virginem honorare, sed honori de-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 173
trahere: Hæc ille. De quibus aperte ea col-
ligimus quæ desideramus.

Attamen pro eorum profundiore intel-
ligentia, videndum est, an verum sit quod
videtur ipse supponere, nimirum non pos-
se inter marem & fœminam esse concubi-
tum sinè peccato. Nam nec B. Augustinus,
nec Thomas , nec communiter sancti Do-
ctores hoc admittunt; ipsa enim ratio quæ
est in promptu, resistit: & præcipue in tan-
tis parentibus sanctissimæ Virginis, qui (ut
piè creditur , & ex pluribus non temerè
spernendis reuelationibus acceptum est)
ex præcepto Dei ad hanc tantam prolem
generandam , alioqui steriles & segregati
thoro , magno cum merito coniuncti sunt,
tantum abest ut cum peccato: nisi quis for-
tè blasphemus dixerit , Deum illud præci-
pere quod sinè peccato fieri nequit , & o-
bedire Deo peccatum esse. Igitur sanctissi-
mus Abbas noster à Scripturis sanctis , &
ab ipso Dei Spiritu edoctus , considerauit
primum ipsum incorruptæ naturæ statum,
in quo fuisset quidem generatio , sed non
cum libidine & ardore isto pudendo , in
quo & ipsa ratio succumbit, qui improbus
ardor in statu naturæ lapsæ successit. Vn-
de & ipse vocatur peccatum , non quia
peccatum propriè sit, id est, culpa: sed quia
a peccato illo descendit.

Sic fomes etiam in renatis peccatum di-
citur: non quia verè peccatum sit : sed quia

malum, & morbus quidam à peccato ve-
niens, ut rectè admonet B. Augustinus.
Quo efficitur ut semen inde véniens dica-
tur immundum: quoniam non illo modo
quem Deus ordinavit, sed à culpa proce-
dit. Et ideo in ipso semine immunditia inest
& peccatum: non quod ipsum semen aut
libido, aut actualis ille maritalis amplexus
sunt culpa: sed quia tales ex culpa illa pro-
cedunt, & idcirco non agnoscuntur à Deo,
id est, non probantur ob eiusmodi immun-
ditiam. Et qui inde procedit homo etiam
immundus est, & Deo iniuisus: quia tan-
quam opus primi hominis præuaricatoris
à Deo respicitur, non tanquam opus ipsius
Dei. Propterea illi conceptui infunditur
anima quam promeretur illud opus, quod
est hominis opus, non Dei. Itaque nuda
& spoliata donis inuenitur anima in se-
cunda conceptione de communi lege, nisi
renouetur ac renascatur quod conceptum
est, & natum. Hoc ille sanctus Abbas res-
piciens, de primo conceptu pulchre dixit:
Cùm esset illa actualis libido non probata
à Deo, vt pote quæ non ab illo, sed à pecca-
to facta est, conceptus qui ex illa adhuc
feruescente libidine processit, non potuit
esse nisi immundus, id est, cum peccato,
aut potius cum vitio, ita ut sanctificatio eo
tempore ibi admisceri non potuerit. Hoc
enim est quod ait: quomodo peccatum
ibi non fuit, ubi libido non defuit? Loquen-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT.B.V. 175
do igitur de hoc primo conceptu , & ne-
gans fuisse absque peccato , eo pacto pec-
catum intelligendo , sicut est declaratum ,
(nec enim aliter declarari potest , nisi velint
sanctum illum falsa loqui) non est contra
id quod ponimus , quoniam nos de illa con-
ceptione B. V. loquimur , quando infusa
est anima illa benedicta , quæ à Deo venit
quando cessauerat iam libido illa (si qua
tamen adfuit) atque amplexus maritales :
ac suo modo sanctificata erat caro illa in
conspicere Dei , vt dignam reciperet ani-
mam quæ conueniret Dei Matri . Dicimus
enim creatam fuisse illam animam donis
plenam , & in instanti infusam : & ideo quæ
inde processit humana illa creatura Virgo
sanctissima , inuenta est gratiosa coram Deo ,
nunquam cum debito illius iustitiae origi-
nalis quouis momento temporis deprehen-
sa : illud enim debitum compesatum est gra-
tia , quam dono summi Patris accepit , quæ
maculam ipsam anteuertit .

Nec quemquam moueat quod ipse ait : si
quidem non erat antequam conciperetur :
ita ut videatur loqui de conceptione poste-
riore , per quam quilibet verum Esse conse-
quitur , & ante quam non verè dicitur quis-
quam esse , siue existere : quoniam etiam
cum prima conceptio est ob eam causam
dicitur conceptus homo , quia in eo con-
ceptu virtute continetur . Nam si quis in
luminibus patris existens , consideratur & di-

citur esse, quanto magis si iam sit in semine
concepto? Quod autem is sit communis lo-
quendi usus non est dubium. Quod vero
etiam ab hoc dicendi modo non abhorreat
Scripturā, satis ostendit B. illa Machabœo-
rum mater, quæ dicit nouissimo filio suo:
Ego te in utero, nouem menses portau,
quod falsum esset, nisi primæ conceptionis
tempus computaretur, antequam fœtus
animetur anima intellectuā, & nisi intel-
ligeretur iam homo, quod adhuc forman-
dum esset per animæ infusionem. Imò ego
existimo hoc nomen conceptionis, seu con-
ceptus, quod frequens est in Scripturis,
nunquam ibi pro secunda conceptione ac-
cipi, sed pro prima dumtaxat. Vnde &
quod dixit ille rex: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, citra ullam hæsitationem
de prima conceptione debere intelligi exi-
stimo. Sic enim B. Anselmus manifestè de-
clarat, & paulò post etiam à nobis decla-
rabitur. Tota igitur illa B. Bernardi ratio-
cinatio, aut hanc habet interpretationem
quam exposuimus, aut certè incondita est.
& inefficax, & falsa præsupponeret, & male
de secunda conceptione concluderet.
Quod & Caietanus annotauit, ne decipe-
retur Thomista, & nonnulli alij, qui non
considerantes verum sensum illius glorio-
sissimi Abbatis, dixerunt illum inefficaci-
ter argumentatum. Collige ergo ex eo pro-
cessu conclusiones & media.

Prima Conclusio est. B. Virgo non potuit ante sui conceptum (de primo ipso concep-
tu loquitur) sanctificari. Medium quo probatur, est : quia illa ante istum concep-
tum nondum erat. Quod autem nullo modo est , quomodo potest sanctificari?

Secunda cōclusio. B. Virgo in ipso con-
ceptu, aut potius ipse primus B. Virginis cō-
ceptus in primo instanti sui esse, non potuit
(secundūm decentiam loquitur) sanctifi-
cari. Medium est, quia in eo peccatum ad-
erat, hoc est, vitium ex libidinoso coitu ve-
niens , id est communi modo procedens ,
non secundūm institutionem primam diui-
nam.

Tertia conclusio. Restat ut post concep-
tum in vtero iam existens sanctificationem
accepisse credatur. Huius medium est : quia
nata creditur cum sanctitate, & dignum est
credere in illa acceleratam fuisse sanctifica-
tionem p̄r̄ alijs . Quid ergo obstat , quin
in primo instanti cūm anima creata est &
infusa , inueniri posset sanctificata ? Huius
rei gratiā celebrabatur olim , & nunc etiam
illius Natiuitas: quia tunc nihil aderat pec-
cati vel libidinis, vel cuiusquam immundi-
tiæ actualis prohibentis Spiritum sanctifi-
cationis, sicut erat in primo conceptu. Na-
turā tamen priùs inuentum est in illa , id
quod animale, quàm quod spirituale. Con-
tra autem fuit in Domino nostro Iesu Chri-
sti qui a Verbum priùs erat quàm factum

sit caro, non prius caro, vt fieret Verbum. Ecce in hunc sensum omnia profectò consonant & ipsæ voces, & totus illus sanctissimi Abbatis processus. Vnde magno admirabilis Dei miraculo factum est, vt fratres nostri imprudentes in celebratione huius festi ux diei, huic doctrinæ nostræ astipulentur, qui nomine Sanctificationis celebrant illum diem, quando animæ sanctificatio esse non poterat, & consequenter nec ipsius sanctificatio. Quare ergo illa die celebrant suam Sanctificationem, quam si Physicis credant post duos ab ea die menses venisse, id est, octagesima die à primo conceptu fateri debent? Ecce quomodo eos oportet, si congruè illa die celebrare velint, sanctificationem carnis intelligere, quæ ad animæ sanctificationem præparatio quædam fuit. Et hæc bene notabis tu Thomista, ut Cajetani verbis utar.

Porro ad ampliorem adhuc declarationem recole duo, quæ aliquantulum scrupuli injiciunt non assuetis in Scripturis sanctis.

Primum est, quod iam tetigimus: quoniam in illa prima conceptione dum dicitur sanctificata, presupponitur fuisse B. Virgo. Quod autem non est, quomodo potest sanctificari? At in conceptu primo nondū existebat, cùm nondum esset anima infusa. Sed ad hoc iam respondimus: erat enim iam in eo concepto semine aliquando. Siquidem quod est sic inchoatum,

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 179
accipi solet perinde ac si esset. Talis est mo-
dus loquendi & frequens , vt declarat B.
Anselmus. Vnde quidam de obscena mol-
litie dixit; Quod perdis, homo est. Et B. Au-
gustinus de iis qui concepti in utero per-
duntur, ita scripsit , *de nup. de concup*: Ali-
quando eò usque peruenit hæc libidinosa
crudelitas , vel libido crudelis , vt etiam
sterilitatis venena procuret , & si nihil va-
luerit, conceptos foetus intrà viscera aliquo
modo extinguat aut fundat, volendo suam
prolem priùs interire, quam viuere. Prolem
vocat quæ nondum erat , nisi in semine.

Secundū quod solet scrupulum inijcere
est : quia nihil videtur esse capax sanctifi-
cationis , nisi anima hominis. Quomodo
igitur poterat esse questio de primi conce-
ptus sanctificatione antequam anima in-
funderetur , cùm talis conceptus non esset
vlo modo sanctificabilis ? Respondeo , il-
lud sanctum dici in Scripturis, quod mun-
dum est , è regione ad immundum. Et
quemadmodum non vna est immunditiae
species , sed pro varietate rerum naturæ
plures: ita non est vna species sanctificatio-
nis , sed multæ , vt fert naturarum diuer-
sitas. Ecce in lege prisca dicebantur anima-
lium quædam immunda , & ciborum simi-
liter ; id verò quamobrem, cùm essent ope-
ra naturæ ac Dei , nisi quia Deus illa ad fa-
ctificiū , aut ad esum hominis non proba-
bat ? Neque enim illa immunditia erat na-

turalis : quoniam ipse Porcus non ad alium
vsum videtur esse à natura productus, quam
ad esum hominis, vt aiunt Physici: & tamen
inter immundas carnes computabatur. An-
te diluuium etiam omnes carnes erant im-
mundæ ad esum, quia prohibitæ. Post dilu-
uium & ante legem omnes erant mundifi-
catæ & sanctificatæ , per verbum Dei di-
centis : *omnes pisces maris & omne quod mo-
rietur & vivit erit vobis in cibum : quasi ole-
ra virentia tradidi vobis omnia.* Genes. 6.
Per legem autem distinctio facta est , vt
quidam cibi dicerentur mundi, quidam ve-
rò immundi , vt quicumque ex immundis
ederent, immundi fierent. Per Christum au-
tem, legis sublata seruitute, omnia munda
facta sunt. Ita oportet in re proposita arbi-
trari; semen quidem viri ad generationem
immundum esse, non quia sit in illo qua-
litas vlla morbida & immunda (hoc enim
existimare , teste B. Anselmo , est nimis
crassum) sed idcirco immundum, quia non
eo modo quo Deus ordinauerat ab initio
deciditur , hoc est cum statu & tranquilli-
tate rationis. Quapropter conceptus inde
propagatus immundus est , non placitus
coram Deo, tanquam non opus suum. Pos-
set autem Deus oculum conuertere ad
certum conceptum , & continuò si vellet
eundem sanctificare : quia beniuola Dei er-
ga illum voluntas sanctificatio esset. Posset
& quod concipitur, manu Angelorum per-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 181
tractari, atque ab aliqua sorde materiæ pur-
gati, nō sorde peccati sive culpe, cuius caro
non est capax: & ita sanctificari diceretur
ea sanctificatione, cuius capax esset, quo
modo sanctificantur cibi, & etiam res
inanimatæ. Ego vero non dubito con-
ceptum B. Virginis, etiā ex viri semi-
ne venerit, & non de Spiritu sancto,
fuisse tamen à Deo utroque modo sanctifi-
catum, hoc est respectum oculo diuinæ
gratiæ, ut esset dignum ex quo Dei Mater
generaretur. Credo insuper quamprimum
decisum est semen illud in uterum B. An-
næ, statim non defuisse Angelos Dei, qui
aliquid circa ipsam materiam cooperaren-
tur, ut conceptus fieret mundissimus. Sicut
enim ad creationem primorum Adam ratio-
nabiliter creditur (quod & B. Thomas te-
statut) ministerio Angelorum præparatam,
aptatamque fuisse materiam, & eorum cor-
pora fabricata quatenus Angelorum manus
extendi potuit: Ita me rationabiliter exi-
stimo credere de secundo Adam, & de se-
cunda Mulier, quæ quodammodo conti-
netur in illo spiritualiter: & ita sanctifica-
tam fuisse conceptum illum, ut congrue
anima omnibus donis cumulatissimè orna-
ta suo tempore posset infundi. Et fortassis,
ut quædam reuelatio habet, meo iudicio nō
contēnenda, valde accelerata fuit animæ
creatio atq; infusio. Sed hæc non sunt pro-
ponenda derisoribus: ideoq; tanquam non

dicta accipi ab iis velim , qui nihil admittunt quod in suis libris nō legerint. Sed ad rē,

De vera igitur B. Mariæ sanctificatione intelligentes , quæ fuit in anima , & in instanti creationis animæ , non probamus illam B. Thomæ ratiocinationem quatenus nos petit : quoniam etiam ipsem Caietanus aduertit non esse illam idoneam ad lædendum sententiam nostram. Argumentabatur enim sic : Non fuit sanctificata B. Virgo ante animationem: ergo post. Datur enim medium possibile , videlicet in ipsa animatione : & inchoatio quædam (ut credibile est) potuit esse in carne in ipso foetu cum primùm conceptus fuit. Et hic considera quām conuenienter sacrosancta & veritatis magistra Romana Ecclesia , & cæteræ totius orbis omnes Dei Spiritu directæ , illum diem meritò colant , quo primūm concepta fuit : quia præseruationis illius est festum , quæ præseruatio manifestata est in ipsa foetus sanctificatione ab initio suæ conceptionis. Tunc enim inchoata est sanctificatio in carne , ut tūm deinceps in spiritu terminaretur , & tempore suo consummaretur. At ego quidem existimo multa diuinarum gratiarum arcana nobis adhuc incognita , quæ collata fuerunt in hanc arcam Dei semper benedictam , quam Deum sibi fabricasse ab initio , & à diluvio aquarum (sicut suum paradisum) conservasse iam minimè dubitandum est. Noꝝ

PRO VERIT. IMM. CONCEPT.B. V. 183
enim diluicio interire poterat Enoch, id est,
dedicatus, nec sine loco manere poterat.
Hic est Christus Dominus noster & redem-
ptor. Sed a spiritu paulatim præuenimur
ac dirigimur, ut mysteria oportunis tem-
poribus nota fiant Ecclesiæ sanctæ.

Satis itaque sunt hæc pro declaracione
veri sensus B. Bernardi, qui non aduersa-
tur sententiæ nostræ, ut potè loquens de
prima conceptione, non de secunda. Istud
ipsum adiuvat etiam B. Anselmus, qui in
hunc modum nobis interpretatur dictum
Prophetæ: *Ecce enim in iniquitatibus conce-
ptus sum. Verba B. Anselmi hæc sunt: Sed*
si non statim infans ab ipsa conceptione
(loquitur manifestè de prima conceptione)
habet peccatum, quid dicit Iob Deo:
*Quis potest facere mundum de immundo conce-
ptum semine, nisi tu qui solus es?* Iob 14. Et
quomodo verum est quod dicit David: *In
iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis
concepit me mater mea?* Quæram igitur si
possum, quomodo (quamvis non statim
ab ipsa conceptione sit in infantibus pee-
catum) de mundo tamen semine in iniqui-
tatibus & peccatis concipi dicantur. Sæpe
vtique diuina Scriptura asserit aliquid esse,
quando non est. Hoc autem, quia certum
est futurum esse. Sic quippe Deus Adæ de
ligno vetito dixit: *In quacumque die come-
deris ex eo, morte morieris, non quòd eo die*
mortuus sit corpore: sed quoniam die illa

necessitatem accepit aliquando moriendo. Et B. Paulus similiter ob necessitatem moriendo aliquando dicit: *si autem Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus vero vivit propter iustificationem:* Rom. 8. Non enim corpora eorum quibus loquebatur, mortua erant, sed moritura propter peccatum: quia per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors. Sicut in Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit: non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus: sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illa necessitas ut cum essemus peccaremus: quoniam per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Simili modo de immundo semine in iniquitatibus & peccatis concipi posset homo intelligi, non quod in semine sit immunditia peccati, aut peccatum, sive iniquitas: sed quia ab ipso semine & ipsa conceptione ex qua incipit homo esse, accepit necessitatem, ut cum habeat animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quam non est aliud quam peccatum & iniquitas. Nam etsi ex vitiosa concupiscentia semine generetur infans, non tamen maior est in semine culpa, quam in sputo, vel in sanguine, si quis mala voluntate expulit, aut de sanguine suo aliquid emittit. Non enim sputum aut sanguis, sed mala voluntas arguitur. Patet igitur quomodo & in

infantibus non statim ab ipsa conceptione sit peccatum. Et vera sunt quæ de diuina Scriptura opposui, quippe non est in illis peccatum: quia non habent, sine qua non inest peccatum, voluntatem. Et tamen dicitur inesse: quoniam in semine trahunt peccandi, cum homines iam erunt, necessitatem: Hæc ille. Quid amplius rogo, aut quid clarius dici potest, ut probentur non solum quæ superius diximus, verum etiam totus doctrinæ nostræ neruus; & quod non-nullo modo potest dici contractum peccatum, etiam à B. Virgine ob necessitatem contrahendi illud secundum naturæ conditionem? Nec tamen necessariò sequitur, eam contraxisse de facto, (ut sæpe diximus) nec pro tempore aliquo, aut momento in mente Dei, idque per evidentem rationem priuilegij, quo dignum erat omnino Matrem Dei à suo Filio decorari. Quod ex hac b. Anselmi doctrina facile elicetur: quoniam apud cum ille de facto dicitur peccatum originale contrahere, qui cum primùm est in rerum natura, peccandi necessitatem trahit: quod de b. Virgine iam nullus Catholicus admittit.

ALIQUOT SANCTORVM DOCTORVM
sententia in favorem immaculata
Conceptionis Matris Dei.

NON sunt à nobis omittendæ quædam inter plurimas gra-
uissimæ sanctorum Doctorum pro hac Matris prærogatiua
sententiæ, quas procul dubio in Spiritu
Dei effati sunt. Audiamus quid deuotissi-
mus Abbas bernardus noster dicat: Caro
Mariæ, inquit, ex Adam sumpta maculas
Adæ non admisit. Quid clarius? Et alibi:
Pura siquidem humanitas in Maria non
modò pura ab omni contaminatione, sed
etiam pura singularitate naturæ. Quid di-
cere voluit per singularitatem naturæ, nisi
indicare eius generationem singularem,
quæ existens de peccato, maculas tamen
peccati non contraxit, ut rubus ille qui in
medio ignis existens non comburebatur?
Vnde & alibi exclamat idem deuotissimus
Abbas: ô b. sola inter mulieres benedicta,
sola à generali maledicto libera, & à dolore
parturientium aliena. Et alibi: Mihi sanè
singularis rutilat fulgor, primò quidem in
Mariæ generatione. Et hunc fulgorem sin-
gularem declarans, dixit: quòd ex regibus
orta, quòd ex semine Abrahæ, quòd gene-

rosa ex stirpe Dauid. Sed haec tenus nihil singulare ex ea verè expressum, cùm fere innumerabiles foeminae de his tribus potuerint secundum carnem gloriani. Ecce ergo quod erat illi generationi singulare continuo adicxit. Si id parum videtur, ait, addet quod generationi illi ob singulare priuilegium sanctitatis noscitur esse concessa. At hoc singulare, nisi fuerit præseruata, non apparet. Non enim abundantior sanctificatio facit singulare priuilegium sanctitatis. Alioqui innumeris essent privilegiati. Non sum nescius posse hæc dicta variis interpretationis infici & contorqueri. Quid enim tam clarum proponi queat, quod suis excogitatis commentis (vbi volunt) contentiosi disputatores non reddant obscurum? Ideò non hæc producimus ad conuincendum peruvicaces & obstinatos, sed ad instruendum dociles, ut certant prouidentiam Dei, & Spiritum in sanctis suis, quos non ita errare, cùm ex propriis interdum loquuntur, permittit, ut non alia ex parte antidotum procuret. Facit enim illos non raro ex spiritu loqui vera, etiam si forsitan non considerent. Quapropter non tam quid senserint sancti Doctores explorandum est, quam quid dixerint est ponderandum. Ob eam causam Caietanus cùm exposuisset verba b. Thomæ contra eius mentem, agnoscens & prudenter excusans factum dixit: At si quis con-

tendit expositiones has posse conuincere litteræ, & non intentioni Autoris, qui videtur ex proposito docere oppositum, meminerit primò me ab Autore didicisse post Augustinum, talem exhibere aliorum lectorum, qualem meorum exopto. In ultimo siquidem præcedentis quæstionis Articulo Autor verba Innocentij in cap. Marthæ, ad verum sensum trahit, non curans de intentione opinantis, &c. Idem dixit in tractatu de Autoritate Papæ & Concilij, dum exponeret decreta quædam Constantiensis, & basiliensis Concilij, nihil curans de intentione loquentium. Hoc egregij Doctores sæpenumerò nec irrationabiliter obseruarunt, Autorum verba potius ad veritatem aptantes, quam ad eorū mentem.

Affero & iterum B. Anselmum cuius illa verba sunt, quorum (nisi violentissima detorsione violentur) significatio, vix alijs efficiaciora pro sententia nostra reperias. Decuit, inquit, illam Virginem ea puritate nitere, qua nulla maior sub Deo potest intelligi. Non afferam quæ ex ejus Epistolis & alijs libris plerique produxerunt: quoniam non recipiuntur à disputatoribus tanquam B. Anselmi scripta,

Hanc quoque singularem Dominæ præstantiam & immunitatem à peccato satis declarat illud Chrysost. quod tamen aduersarij pro sua opinione inducunt, vbi ait: Non est de singulari Virgine ambigendum,

quoniam ipsa maternis visceribus sublimiore genere sanctificationis mundata sit, quam Ioannes & Ieremias. Hic velim accurate notari verba, non dixit sublimiore sanctificatione, sed sublimiore sanctificationis genere. Sublimius autem sanctificationis genus non est commune cum ceteris: & ideo illud oportet intelligere quod a peccato praeseruat. Nonnulla item de hac nostra sanctissima Virgine effatus est B. Hieronymus, quae in cordibus non adeo duris huius rei statuere persuasionem possint, quale est illud quod tractans verbum illum psalmi 77. *Eduxit eos in nube diei*, dixit: Ecce Dominus venit in Aegyptum in nube leui. Nubem leuem aut propriè corpus Saluatoris, quia leue fuit, & nullo peccato gravatum: aut certè debemus accipere Mariam nullo semine humano prægrauatam. Ecce Dominus venit in Aegyptum seculi huius, per nubem leuem Virginem: & eduxit eos iu nube dici. Pulchre dixit diei. Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce. Hæc ille grauissimus Autor, quæ profectò nisi sophisticè peruertantur perpetuam Dominæ nostræ gratiam, & innocentiam comprobant: appellat enim Virginem, nubem nullo humano semine prægrauatam. Quid obsecro est hoc, nisi apertius dicere illam nullo peccati pondere, quod ex humano semine descendit, fuisse prægrauatam? Et quid est, non fuisse illam

D I S P U T A T I O N E
nubem ynquam in tenebris , sed semper in
luce , nisi nunquam fuisse inuoluam pec-
cato , per quod significantur tenebrae ?
Quid hic dicturi sunt , quantumuis inge-
niosi , & ad commenta copiosi ?

Idem in Sermone de Assumptione eius,
quanta dicit, quæ cum hac indignitate pec-
cati nullo modo conuenire possunt ? Ait :
Qualis & quanta esset Maria ab Angelo di-
ninitus declaratur , cùm dicit : *Ave gratia*
plena. Quia cùm ceteris per partes præsta-
tur, Mariæ verò simul se totam infudit plen-
itudo gratiæ quæ est in Christo quanquam
aliter. Hoc quippe est quod David canit :
Descendit sicut pluia in vellus : namque
vellus cùm sit de corpore , nescit corporis
passionem : hæc ille. Quis igitur cum tan-
ta plenitudine gratiæ possit peccati tene-
bras componere ? Nam ea plenitudo dici-
tur in B. Virgine quæ fuit in Christo ,
quanquam aliter fuit, quia Christus suo iu-
re habuit : Maria verò tanquam precariò &
ex gratia. Quæ igitur conuentio lucis ad
tenebras , & Christi ad Belial ? Denique ad-
uerte quām egregiè velleri comparatur ,
quod cùm sit de corpore , nescit tamen cor-
poris passionē. Quid est hoc , nisi quod licet
Maria esset de corpore peccati , id est , de
massa peccatrice , tamen quasi vellus igno-
ravit corporis passionē ? Tale erat Gedeonis
vellus etiam antequām descenderet in il-
lud pluia , & ros æternae nubis , id est , Al-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 191
tissimi Filius : ne fortè dicas hæc intelligi
post Filij conceptionem. Nam & Angelus
salutando , iam gratiâ plenam anteà illam
enunciat.

Ad hæc idem B. Hieronymus cùm Ma-
riam super Angelos exaltatam miraretur ,
& multis prosequeretur laudibus , ita sub-
didit : Hoc priuilegium non naturæ , sed
gratiæ est B. Virginis Mariæ , de qua na-
tus est ipse Deus & homo. Idcirco & ipsa
plus meritis est & non natura , quæ virgo
& homo.

B. Aug. etiā penè eadem verba in eodem
Spiritu dixit ; videlicet Virginē illa summa ,
obtinuisse ex priuilegio , quæ erat super eius
naturam : quia gratia in illa superauit natu-
ram. Non est enim iam inter homines com-
putanda quæ Angelos superat gratia , neque
omnibus ceterorum hominū regulis astrin-
genda. Et ideo non ponenda est fuisse un-
quam sub fœtore peccati , sub ira Dei , sub
manu diaboli , quæ usque ad thronum Dei
omnium propinquissima accessit. Infanda
enim hæc sunt , abominabilia , horribilia.
Quare addit , quod & ad rem nostram egre-
git aptandum est : Nulli , inquit , dubium
quin totum ad gloriam laudis Filij perti-
neat , quidquid dignæ Genitrici suæ im-
pensum fuerit , atque solenniter attribu-
tum. Quocirca fretus tanti Doctoris auto-
ritate , his paucis interpellò Patres , & Fra-
tres meos. Si hoc tanto priuilegio dignam

192 V. I D I S P U T A T I O N E
non putatis Virginem Dei Matrem: at sal-
tem non reputetis indignum Iesum eius Fi-
lium pro illa. Si piget dare Matri, non pi-
geat concedere Filio, cui omnia data sunt
in manu. Accepit enim ipse dona in om-
nibus, qui magna profecto fecit, & præci-
pua quæque dedit Matri suæ. Vnde illa
plena spiritu exclamabat: *Quia fecit mihi*
magna qui potens est: ipse eam elegit, & præ-
elegit, & fundauit sibi tabernaculum suum
Altissimus, quod quantò impollutius,
tantò certè ipso dignius. Hæc ex b. Hiero-
nymo.

Vnam solummodò b. Ambrosii produ-
cam sententiam quæ tamen sumpta est ex
prædicatione magni Apostoli Andreæ, fra-
tris Petri. Ipse enim tam excellens Apo-
stolus non contra fidei fundamenta præ-
dicans, sed potius fidei fundamenta sta-
tuens, inter cætera dixit: *Quia de imma-
culata terra factus fuit præuaricator, con-
gruum fuit ut de immaculata Virgine na-
ceretur Reconciliator.* Idem & b. Matthæus
fidei nostræ fundamenta prædicans & de-
clarans, ut habet historia, enunciavit. Res-
pondent contradicentes hoc nihil facere
~~adversum~~ se, quia nequaquam iuficiantur,
eam Virginem suisse immaculatam semper,
quæ nunquam contaminata fuit in carne.
Nec aliud putant inesse in horum virtute
verborum, nisi carnis corruptionem, quasi
corruptio mentis nihil sit: neque attendunt

ad

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 193
ad figuram, ut inde valeant elicere veritatem. Quis autem nesciat primum hominem typum fuisse secundi, id est Christi? ut ait B. Paulus ad Romanos. Modò cum iuxta B. Andreæ & B. Matthæi prædicacionem, illa terra vnde manu Dei compositus est homo ille Deus, significet B. Virginem, qualis illa terra fuerit respectu peccati, talis oportet b. Virginem sub intelligere. Hoc verò & illi Apostoli declarant, quorum sententiam nobis B. Ambrosius explicat ad Sabinum, scribens lib. 6. Epist. his verbis: *Quòd si primus ille homo qui cum Deo loquebatur, in paradiſo positus labi tam faciliè potuit ex terra creatus virgine, quæ ad Verbum Dei formata & creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidiali, cædiūmque concreta sanguine: flagitiis & dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledicto obnoxia hereditatis; quantò faciliùs, &c.* Audīsne terram cui comparatur B. Virgo? Nónne illam quæ nullum penitus Dei senserat maledictum, neque ullam carnis damnationem, vt potè præuenta in benedictionibus dulcedinis, de qua singulariter dictum est: *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob?* Hanc Salomon inquirebat aiens: *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de ultimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.* Proverb. 31. Pulcherrimam veritatem, & omni acce-

ptione dignam. Quis mihi det, vt hæc à meis Fratribus tandem aliquando penetrentur, & quæ sunt Virginis Virgini, & quæ sunt Christi Christo concedantur? Quodcumque enim Matri Filij dono conceditur, Filij magnificentiæ ascribitur: nec illi quidquam detrahitur, sed redditur quod suum est. Domine Iesu, qui de tenebris fecisti lumen splendescere da obsecro, Fratribus meis intellectum, vt videant, & sificant se aliquando ab inuitissima veritate superari. In hoc enī erit eis honor & laus coram Deo, & Angelis eius.



REFELLITVR POSTREMVS CONTRA-
dicentium zelus , pro Ecclesia Dei .

RESTAT ille zelus , pro Ecclesia sancta Dei , quo nostri Spinæ vrgeri se ostentant , clamantes vigere in cultu Dei in cunctis Christiani orbis Ecclesiis errorem iamdudum ab Apostolica sede damnatum . Quid poterat dici ab istis Spinis atrocius ? quid inopinabilius ? Possem ego optimo iure hanc insignem calumniam , ne dicam blasphemiam , redarguere , primum ipso- rummet confessione , qui dum huius rei nomine arguuntur , quod non sequantur communem totius Ecclesiæ cultum & fidem ; respondere solent ex Caietani doctrina , Ecclesiam , & sedem Apostolicam nihil circa hoc determinasse , ut patet in Xystina Constitutione , & ideo non cogi ab opinione sua decedere .

Sed vide , pie lector , huius mendacij peruersitatem . Est enim eò usque peruersum ut nullo aduersario destruat semetipsum . Nam si quod semel condemnatum est ab Ecclesia & Apostolica sede , ruisus ab

196 . V . I . T D I S P U T A T I O N E V O N
eadem Ecclesia , & Apostolicæ sedis au-
toritate recipitur , & in diuinum cultum
assumitur , nonne hinc planè infertur in
Ecclesia Dei (circa ea quæ fidei sunt ,)
inueniri eiusdem articuli simul damnatio-
nem , & approbationem ? Et ita non iam
spiritus veritatis , sed spiritus inconstantiae
& leuitatis esset in illa ; nimisrum est , & non ,
& non illud est sempiternum . At hoc quid
est aliud quām ipsam destruere iDei Eccle-
siam ? Et hæc sunt lucra quæ nobis hi Spi-
næ sua fœcunditate protulerunt .

Piget ea producere decreta quibus inni-
tuntur . Est quidem Milevitarium Concilium
vbi legimus deci sum parulos recen-
tes ex vteris matrum baptizari in remissio-
nem peccatorum , idque verè propter origi-
nale peccatum ; quod ex Adam contra-
ixerunt . Neque enim aliter est intelligen-
dum quod ait Apostolus : *Per unum homi-
nem peccatum intravit in mundum , &c.* Nisi
quemadmodum Ecclesia Catholica , vbi-
que diffusa semper intellexit . Propter hanc
enim regulam fidei etiam paruuli qui ni-
hil peccatorum in semetipsis committere
potuerunt , ideo in remissionem peccato-
rum veraciter baptizatur , vt in eis regene-
ratione mundetur , quod generatione tra-
ixerunt : Hæc ibi . At quid inde contra Ma-
tris Dei prærogatiuam ? Quasi verò , quia
ponitur exceptio , negetur regula : aut ex

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 197
eo quod defenditur priuilegium, destruatur
commune ius : cum potius est conuerso, &
regula scilicet, & commune ius per affir-
mationem exceptionis ac priuilegiis asse-
rantur, non autem negentur. Decretum
ergo erat contra hæreticos qui omnino ne-
gabant originale peccatum ; & neminem
prosper illud propagatione contrahere,
nec debitum habere ex sui natura contra-
hendi asserebant. Neque enim ullam quæ-
stionem mouebant de privilegio cuiusquam,
sed omnem omnino vim illius peccati de-
struebant. Nos vero (ut sexcenties dixi-
mus, & tamen nolunt considerare) illud
peccatum palam confitemur, & secundum
debitum ex natura sui ad omnes pertinere
vlerò asserimus, nullo, nec B. Virgine, ex-
cepto. Ex gratia tamen Christi, & singu-
lari erga Matrem priuilegio credimus, &
cum sacrosancta Romana Ecclesia defen-
dimus illam à communi labo præserua-
tam, atque redemptam : hoc spinis non
placet. Cuperemus tamen vehementer ut
eis etiam placeret, nec à reliquo vniuersali
Ecclesiæ corpore se hac parte separa-
rent, cum ipsa verè sit lilyum, nos autem
spinae omnes. Sic enim scriptum est de
omni carne præter illam singularem : spi-
nae & tribulos germinabit tibi.

Non quiescunt tamen, sed insuper quæ
prospera plana sunt eis videntur perplexa.

Putant enim hæc simul constare non posse, eandem esse præseruatam ac redemptam. Si enim, inquiunt, fuit præseruata, non indiguit redemptione. Quomodo igitur redempta? Tanto tempore res hæc versata est in disputatione, nec adhuc intelligunt quæ nos dicimus. Ipsi falsò opinantur nos adeò despere, ut ponamus primè B. Virginem fuisse ab ea labe præseruatam, & postremò redemptam: Quod meritò esset ridiculum. At nos dicimus ipsam præseruationem nihil aliud fuisse, quam illam singularem redemptionem, quam Ecclesiæ omnes celebrant, & nos hic defendimus.

Sed iterum vrgent: Quia, inquiunt, Apostolica sedes aliud determinauit, vide licet non posse dici redemptum, qui per peccatum non fuerit ante verè captiuus. Ita enim testatur D. Augustinus Zozimum Papam in sua Epistola scripsisse. Vnde exclamat zelatores Spinæ isti: O clarissimum verbum veritatis! O Verbum vnicum sufficiens vniuersam soluere quæstionem. At quam longè oportunius nobis in eos exclamare liceret & dicere: ô clarissimam vanitatis vocem: ô sophisticam, ô phantasticam persuasionem! Echo dicite nobis: Est ne hoc absolutè verum, non posse dici redemptum eum, qui cum de facto non fuerit captiuus, captiuitati tamē obnoxius, seruatus est ne in eam incideret? Pontifex

enim absolute locutus est. Si igitur vultis hoc absolute verum esse, manifesta est protterua vestra. Nam & ipsi vestri Autores vobis potenter aduersantur, & B. Augustinus, & Scripturæ ipse sanctæ, sicut superius latè ostendimus. B. Bernardus etiam Angelos dicit redemptos. Quod si falsum est absolute hoc dictum, cur vultis hoc falsum dixisse Pontificem, & per illud vestram opinionem constabiliri? Durandus ipse expressis verbis docet, quod si B. Virgo peccatum illud non contraxisset, potuisset dici verè redempta. Illud verò quod dixit Pontifex, non posse dici redemptum, qui non esset antè verè captiuus, opposuit hæreticorum dicto, qui cum nullum peccatum, neque ullam obligationem peccati, & captiuitatis in quoquis hominum concederent, oportebat eos confiteri falsum esse saltem in pueris illud vniuersale dictum, quod in remissionem peccatorum baptizarentur. Neque enim fatebantur hæretici pueros debuisse quidem captiuitati succumbere, sed præuenti Dei misericordia non succumbebant, quod etiam falsum fuisset; sed & factum, & simul debitum ipsum pernegasabant. Vnde in eos rectissime conclusum est illa verba Domini; *si filius vos liberauerit vere liberi eritis*, attinere prorsus ad omnes etiam pueros, nec poterant verificari nisi in his qui verè, id

est cum veritate dici possent captiuū. Hoc autem usitato Scripturarū more , verè dici potest de omnibus, quicumq; ex se obnoxij fuerint captiuitati, vt diximus, & repetere s̄pē cogimur propter istorum qui contradicunt obtusione m , & importunitatem. Est enim Scriptura quæ dicit, & Ecclesia sancta canit, Christum esse omnium Redemptorem & Saluatorem. Quod quis neget verè dictum ? Et multos tamen de facto non redimit, neque saluat. Hoc autem non ob aliam causam, nisi quia ex se , & vi meritorum hoc habet , vt velit & possit redimere & saluos facere etiam illos, qui de facto non redimantur neque salvantur. Cur ergo non similiter possit verè dici quis ratione meriti & obligationis esse captiuus , et si non fuerit de facto captiuus ? Siquidem ne accederet captiuitas prohibitum est à præueniente gratia speciali. Si enim ea sola consideratione verificatur Redemptor , etiam si non redimit de facto , quoniam ex se in hoc paratus est atq; idoneus, scilicet redimere; quid causæ fingi potest cur similiter non verificetur is esse captiuus , qui ex se præceps quidem in captiuitatem rueret , sed obice interpolito captiuitas de facto insecura non fuerit. Concludimus ergo placuisse omnipotenti & clementissimo Patri Deo acceptate Filij sui dilectissimi merita pro ipsius Matre cha-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 201
rissima ad effectum præseruationis ab ira,
quatenus singularis illa persona seruaretur
sola in quam meritum peccati Adæ nullo
pacto extenderetur, nec esset quousque mo-
mento iræ filia. Tantum valuit pro illa
meritum Christi, & pretium sanguinis, &
id quidem iure optimo. Decuit enim ut il-
la caro facta hostia pro peccato, & ille
sanguis factus pretium pro nobis, primò
& maximè illi prodesset, à qua ipse Domi-
nus accepisset, & hæc fuit præseruatio. **E**t
hoc in loco exclamare meritò libet, ö veri-
tatem luce plenam, iis tamen qui se se no-
luerunt excœcare. Nam hic est deuentum
tandem ob affectionem sectarum, & super-
biā nostrā, quam satis istos ostendisse
existimo, qui soli sua sententia sint zelato-
res pro Christo, scilicet qui Christi bene-
uolentiam erga Matrem suam coarctant,
& coangustant. Hi zelatores pro Matris
gloria & honore scilicet, qui eam consti-
tuunt peccatricem. Hi zelatores pro Scri-
pturis sanctis scilicet, qui se solos faciunt
fideles ac veraces earum interpretes. Hi
zelatores pro sanctis Patribus scilicet, qui
similiter soli Spiritum sanctorum Patrum
imbiberint. Denique hi soli pro Ecclesia
zelatores, & veri Ecclesiastici scilicet,
quia ipsi soli iustæ ac piæ petitioni Rom-
anæ Ecclesiæ quam tacite & cum illo-
rum honore iure suo postulat non obtem-

perant, dum quem illa instituit cultum,
non solum non recipiunt, sed reprehendunt,
& audent vocare hæresim & impie-
tatem. Parcat illis clementissimus Deus
Pater.





P A R S

S E C V N D A.

*IN QVĀ O STE N D I T V R OMNES
fideles teneri ad celebrandum diem festum
immaculatæ Conceptionis B. Virginis, sub
ipsomet immaculatæ Conceptionis titulo,
& iuxta sensum Pontificio decreto ex-
pressum.*

POSTQVAM falso zelo frustra
incensos Fratres meos superiore
Disputatione circa rei veritatem
abundè ostendi: nunc illud oc-
currit, vt ad Patres Ordinis nostri sermo-
nem meum conuertens, ostendam pios
omnes iure suo postulare vt id ipsum dica-
mus omnes, & in cultu Dei hanc fidem
vniformes profiteamur. Quā rem vt quām
validissimè persuadeam, illud imprimis an-
te oculos subiicio, Romanam Ecclesiam
recepisse, imò instituisse in diuino cultu
celebrationem hanc de immaculata B. Vir-
ginis Conceptione. Estne verum istud, an
falsum? Quām sit verum (Deo gratia est)
luce clarius patet in prima Constitutione
Xisti summi Pontificis: *Cum præcelsa, &c.*

Quid ad hoc responderi potest. Res clara est & aperta nimis.

Neque verò locum vterius habet, quod olim piè quidem ac benignè commentus est D. Thomas de quibusdam Ecclesiis, quæ tunc sub nomine Conceptionis celebrabant, volens illas potius ad sanctificationem respexit, quam ad conceptionem. Quia piè creditur, inquit, post animæ infusionem, in qua peccatum Originale contraxit, illicò fuisse sanctificatam. Hoc inquam, iam non valet: quoniam exerte & plus quam manifeste suum sensum Romana Ecclesia in Missa & Officio Conceptionis declarat, quæ tale Officium se instituisse ac ordinasse scripto suo ipsamet præcipue contestatur, miram & immaculatam vocans Beatissimæ Virginis Conceptionem. Huius item festum à Romana Ecclesia fuisse ordinatum & institutum, etiam secunda Decretalis, Graue nimis, post septem annos à prima edita irrefragabiliter manifestat: in quo Officio & Missa clarissimis verbis hæc Matris Dei prærogativa exprimitur.

Quid hic dicent? Res facti est & manifesta nimis, certè terribilis est locus iste, & pericolosum est in eum impingere, cum hic sit Petra. Si enim non immaculata fuit B. Virginis Conception, & nihilominus celebratur immaculata à sacro sancta Romana Ecclesia, & a ceteris omnibus totius Chri-

stiani orbis (vt certè celebratur) error profectò est celebrare , & quidē error magnus, & perniciosus, & intolerabilis. Quis enim ferat (ait Innocentius I.) ad Deum orantem mentiri. Proferretur enim mendacium in cultu Dei. Omne autem mendacium in cultu Dei perniciosum est, vt D. Augustinus, & Thomas , & cuncti Theologi constantur. Et reuera istud per se est adeò manifestum , vt si quis negare velit, stolidum se, aut impium prodat necesse est. Quantò igitur magis erit perniciosum, si quid contra fidem Catholicam celebri Ecclesiarum omnium solennitate colatur ? Perniciosè ergo errat primaria Ecclesia, & reliquarum omnium dux, & regina , cui Deus Spiritum veritatis promisit perpetuò affuturum , & secum ceteras in errorem trahit , si sit verum quod proferunt Spinæ. Quin & vide obsecro, pie lector, & attentiùs rem omnino infandam, ac prorsus peruersam considera , huius prærogatiuæ Matris Dei cultores (si falsa ponitur) inuenientur non solummodò mendaces in orando , sed etiam orationis loco diram in seipso porrigere ad Deum imprecationem : Sic enim orant. *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum preparasti: Ecce mendacium. Præsta quæsumus, ut sicut illam ab omni labore preservasti: Et iterum mendacium: Ita nos quoque mundos ad te peruenire concedas. Ecce omnino imprecatio*

dix. Nam si illa non fuit ab omni labore præseruata, & nos tales ad Deum peruenire oramus, iam non oramus ut mundi, sed ut immundi perueniamus ad Deum. Et hoc acceptum referimus sacrosanctæ Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & illi Sedi vbi nulla vñquam inuenta est macula, & quam Deus omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistrum constituit.

Quid hic respondeant quæso, Fratres mei? Numquid iam dissimulare valent, & negare rem hanc esse grauissimam, & maximi ponderis, siue falsa sit ipsorum positio, siue sit vera? Nam si vera (quod tamen est impossibile) cui dubium, esse perniciosum ac summoperè præposterum, Romanam Ecclesiam, & reliquas totius orbis Ecclesias celebrare dogma falsum, & quod fidei fundamenta subuertat? Sin autem falsa (vt reuera est) quis non videat intolerabile esse, è medio ipsius Ecclesiæ quosdam prodire Spinas, qui tanta scandala disseminent, audentes asserere Romanam Ecclesiam, ad quam Dei prouidentia pertinet diuinum cultum, ne qua superstitione admisceatur, ordinare, illam ipsam sacrosanctam Romanam Ecclesiam recipere & instituere dogma falsum impium, & hereticum? Id autem non clara aut priuatim, sed in diuinis Officiis & publicis ipsius sacrificiis, & eum obseruare cultum quo detrahitur dignitati Christi, & Matris eius,

sicut volunt hi Spinæ. Nónne si ita se res haberet, Ecclesia quæ debuit esse magistra fidei, sicut vocata est semper, & columna ac firmamentum veritatis, facta esset nobis Magistra erroris & hæresis? Nónne per eius magisterium omnis clerus & populus immane & irreparabile scandalum incurrent, qui à re falsa suam deuotionem ac pietatem alerent & nutrirent? Nam in ipso cultu Ecclesiastico vbi res cum Deo, qui est summa Veritas, non cum homine agitur, ministri Ecclesiae orantes ante altare, vbi putarent se veritatem dixisse & obsecrassæ, inuenirentur & falsum pronunciassæ cum Deo loquentes, & exsecrando se ab eodem fieri postulauisse. Quæ res in Ecclesia Dei si non grauis est, quænam alia grauis fingi potest? Extat Celestini Papæ præclara sententia in articulorum dam natione quos Pelagiani tuebantur. Legem credendi, inquit, lex statuit supplicandi. Si igitur hæc supplicandi lex falsa fuerit, etiam lex illa credendi erit falsa: quod est horribile in Ecclesia sentire, & in dedecus & magnam fidei nostre iniuriam.

Mitto nunc quæ aliquando in patria mea quidam ausi sunt mihi respōdere, cùm ego ad hanc celebritatem recipiendam eos sedulò adhortarer, obijciens Romanæ Ecclesiae morem, cui adhærescendum esse populus ille iure flagitabat. Dixerunt enim se viros esse veritatis, & Ordinem Prædica-

208 . V. U. T. D I S P U T A T I O N E
torum esse maximam, & nobilissimam san-
ctæ Romanæ Ecclesiæ partem. Quod si
verum est, ipsi ergo sunt caput, ceteri
membra. Nam maxima & nobilissima cu-
iusque Ecclesiæ pars caput est, & ad ipsum
pertinet membrorum omnium directio.
Verum de his qui tam peruersa loquuntur,
illud solum considerandum est, sintne
potius miseratione digni ob corruptam af-
fectionem, quam animaduersione ob in-
solentiam & arrogantiam. Responsione
procul dubio tales iam digni non sunt.

Doleo autem adhuc esse qui secundum
carnem cogitantes, respondere ineptissime
solent, Pontificem illum Xistum fuisse Or-
dinis Minorum, qui Ordo illam opinio-
nem videtur extollere, & ideo iudex mi-
nus idoneus, interim non animaduertentes
quales ipsi sint, ut vacent hac parte suspi-
cionem; nam vel hac sola responsione non
obscure ostentant, quam parum pie considerent
prudentiam Dei, qui existimant
hominum voluntate agi, ac regi ea que ad
vniuersalem Ecclesiam attinent & ad cul-
tum Dei, in quo est (D. Thoma teste) pro-
testatio ac professio fidei nostræ. Quia in re
si erraretur a summa illa Ecclesia quam ce-
teræ æmulari debent, quid firmum iam &
indubitatum tenere possemus?

Præterea qui ante Xistum fuerunt, præ-
sertim & vestri Ordinis Pontifices, & alij
erga Ordinem optimè affecti, cur alteram
partem

partem cui tunc plurimi fauebant, cum iam in controversiam res dedueta esset, pro vestra opinione non determinarunt? Nonne vos necessariò cogimini fateri digitum Dei hic ad fuisse? Præterea si tam grauis error à Xisto, ut isti Spinæ volunt, commissus esset, qui post illum secuti sunt tot Pontifices, non iam Ordinis Minorum, adeóne vel stupidi fuerunt, vel sedis Apostolicæ, eiùsque autoritatis & honoris ita omnes obliiti & contemptores, ut nullus tam perniciosum errorem cernendare curauerit? Et cum tot præclari Magistri, tot Inquisitores fidei exstiterint, & sint in Ordine nostro acres veritatis defensores, cur non aliquando interpellarunt, aut etiam nunc non toto conatu interpellant, ut illæ Xistinæ, quæ intolerabilem cultum vtpotè damnatam hæresim continentem, in ipsam Romanam Ecclesiam & totum Christianismum induxerunt, funditus absorbeantur? Neque enim est nouum ut posteriores Pontifices interdum corrigant errores antecessorum, vt in Decretis patet.

Verum Deus vt olim semper, ita etiam diebus istis prouidit, vt misera hæc fuga & puerilis tergiuersatio sit iam vobis erupta. Nam Tridentina Synodus vnanimi omnium Patrum consensu Xistinas illas Constitutiones renouauit & confirmauit. Quid hic amplius excusationis manet vobis? Omnes enim Episcopi id concordi-

ter egerunt & concluserunt , nec fuit quisquam qui sese opposuerit. Non est igitur vobis integrum dicere, illæ Constitutiones fuerunt Xisti, qui fuit Ordinis Minorum , quandoquidem eas vniuersalis sancta Synodus confirmauit , in qua erant plures Episcopi Ordinis Prædicatorum , qui nequaquam reclamarunt.

Ecce ergo quò tandem res deducta est , & in quas se coniecerunt angustias aduersarij disputantes , vt cogantur fateri sanctam Romanam Ecclesiam cum ceteris cunctis Catholicis, in his Decretis , & vsu atque ritu suo Ecclesiastico tam perenni , aberrare à veritate fidei , ac tanto errore involui , vt in diuinis Officijs & sacrificijs non solùm mendacium clara voce asserat , sed etiam colat & veneretur. Neque mendacium tantum , sed impietatem insuper & hæresim : & hoc pertinere ad abusus Romanæ Curiæ (vt quidam illorum blasphemant) quos oportebat emendari in sacro Concilio, in quo tamen Xistinæ illæ , ac per hoc cultus & ritus probatus iam fuerit. Quam obrē iustissimæ sunt multorum querelæ ob insignem istorum arrogantiā & contumaciam.

Add o ego etiam inscitiam hac in re , & mirificum errorem , si hæc se arbitrantur sentire atque enunciare secundūm spiritum & doctrinam B. Augustini & Bernardi , Thomæ , & aliorum Sanctorum , quos ipsi

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 211
habere Authores falsò gloriantur. Profecto
non est hæc imprimis doctrina B. Thomæ,
qui in his quæ ad fidem attinent, Roma-
nam Ecclesiam errare non posse propter
Spiritus sancti assistentiam , multis locis
nos docet. Hanc verò sententiam quis for-
tiùs tenuit ac defendit quàm Ordo Prædi-
catorum : Vbi est ergo vestra in hoc articu-
lo gloriatio , de vestro Sanctorum exercitu
quem aduersus nos opponitis , cùm vel in
ipsis foribus tam vehementer omnes vobis
obstant, prædicantes, & protestantes nolle
sibi vlla in re credi quidquam , quæ repu-
gnat Ecclesiæ sanctæ , non solum decisio-
nibus, sed decretis quoque & ritibus : cuius
autoritati magno consensu , & sincera pro-
fessione semper cesserunt , & quod illa vel
innuit , semper suis propriis sententiis an-
teponunt ?

Ecce ipse B. Thomas in hoc articulo , vt
suam fidem in hanc Ecclesiam ostenderet,
quæ nondum suo tempore admiserat fe-
stum hoc immaculatæ Conceptionis ; &
nihilominus perpendens magnam in ritu,
& obseruantiis etiam particularium Eccle-
siarum adesse autoritatem , dum hanc tra-
ctaret quæstionem, vtrum B. Virginis Con-
ceptio fuisset immaculata & sancta , pro
affirmatione argumentatus est in hunc mo-
dum: Non celebratur nisi de aliquo sancto:
Quædam autem Ecclesiæ celebrant fe-
stum Conceptionis B. Virginis ergo, &c.

Postmodò respondet his verbis. Licet, inquit, Romana Ecclesia non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium: unde talis celebritas non est totaliter reprobanda: hæc ille. Nota primùm, mi frater, eam celebritatem non recepisse tunc Romanam Ecclesiam, & tamen, teste sancto Doctore, non fuisse totaliter reprobandam. Hoc verò quia tolerabatur in quibusdam Ecclesiis ab Ecclesia Romana. Quid nostris diebus diceret, quando tota prorsus Ecclesia sub eo Conceptionis nomine celebrat: & ipsa quidem Romana imprimis, idque iam tanto tempore? Cur tñigitur eam non solum non recipis, sed contrà respuis, ac tantoperè detestaris?

Dices: At B. Thomas retulit eam celebritatem ad sanctificationem à peccato. Fateor: sed hoc olim, quando locus erat interpretationi ac conjecturæ, quia Romana Ecclesia nondum sensum suum declarauerat. Nunc autem cùm sensum suum verbis clarissimis, post tot disputationes, & hinc inde rationes matura consideratione discussas in suis Decretis declarauerit, præclusus est vobis hic omnis euadendi locus. Putabat enim sanctus Doctor ideo Romanam Ecclesiam sub nomine Conceptionis non celebrare, quia haberet hanc fidem, videlicet conceptam sub peccato. Sic enim ait expressè in Quodlibeto sexto, art. se-

cundo, his verbis: Nam Romana Ecclesia,
& plurimæ aliæ considerantes conceptio-
nem Virginis in originali peccato fuisse,
festum Conceptionis non celebrant: hæc
ille. Ecce quomodo hic locus ab autoritate
Romanæ Ecclesiæ à qua ipse pendebat,
decidit vobis è manibus, fratres mei. Nec
enim ulterius loco illo B. Thomas utere-
tur, nisi aduersus antiquam illam opinio-
nem suam, ut eam deponeret: quia Romana
Ecclesia certam & claram suam mentem
ostendit in cultu, cuius Spiritum & auctori-
tatem non solum sibi ipsi, verum etiam
cunctis Ecclesiæ Doctoribus semper esse
anteponendam docuit. Et quia in hac sub-
missione scripsit & docuit, ideo fuit sanctus
& Catholicus Doctor. Quin (quod est ad-
mirandum) ipsimet Thomistæ omnes hac
parte idem faciunt in aliis articulis, hoc
vno excepto. Quamobrè vero, nisi quia re
in contentionem semel deducta, & aliquot
diebus ut benignitate Matris allicerentur
in illis tolerata, inanem victoriam magis
amant, quam veritatem? Ecce sanctus Do-
ctor innitens Nicolai Papæ autoritati, pu-
tauit Clericos, qui suæ defensionis gratia
quenquam occiderent, irregulares fieri.
Confecta est post Decretalis Clementis,
quæ secus determinat. Dicunt Thomistæ,
si tempore B. Thomæ fuisset illa Decreta-
lis, non ita docuisset. Caietanus autem in
alio loco ob istam causam ausus est dicere:

Teneo quòd apud S. Thomam potest Ecclesia dispensare in voto religionis & Ordinis. Quod autem hoc sit de mente S. Thomæ, manifestè concipi potest, ex initio & fundamento positionis suæ in contrarium. In 2. 2. siquidem concludere volens quòd Papa non posset dispensare cum religioso, pro radice positionis assūmit autoritatem Decretalis dicens: Sed quia Decretalis, *cum ad monasterium*, manifestè dicit, &c. & deinde ut conformaret se Decretali adinuenit illam adaptationem de consecratione, ut ibi patet. Ex quibus omni passione semota quilibet perspicacis ingenij elicere potest, quòd si tempore suo summus Pontifex dixisset oppositum verbo vel facto (ut postmodùm fecit) ipse quoque accommodasset rationem in obedientiam sedis Apostolicæ. Et propterea illa opinio, videlicet quòd Papa non possit dispensare, non est sua, nisi pro quanto sustentatur ab illa Decretali: hæc ille. Ac si per hoc simpliciter concludat illam opinionem non fuisse B. Thomæ, qui putauit eam per Decretalem sustentari, per quam sanius intellectam reuera non sustentabatur. Vide ergo, mi frater, quām pulchrè & optimo iure in re proposita idem possimus dicere, eatenus tunc illi festo immaculatæ Conceptionis, & ipsi prærogatiuæ sanctum Doctorem aduersatum fuisse, quatenus arbitrabatur, hoc esse con-

tra sensum præsumptum Ecclesiae , quæ tunc non celebrabat de Conceptione, eti quædam aliæ celebrarent. At si illius tempore in ritu & diuino cultu Romana Ecclesia suum sensum tam clarè explicuisse, quis Thomistarum, si verè sit Thomista, queat ambigere virum sanctum pro sua humilitate , deuotione , & obsequio debito ad illam sanctam Sedem , quod semper ut par erat exhibuit , primum omnium in hanc sententiam fuisse subscripturum, cum iam sciret ex fide Catholica certam in illa Ecclesia & infallibilem adesse Dei prouidentiam , seruantem illam in huiusmodi ab omni errore ? Nónne tantum detulit hac parte non solum Romanæ Ecclesie , verum etiam aliis particularibus , vt putauerit, modò maneant in Catholica , nec eas in suis ritibus quidquam contra divinam veritatem admittere? Vnde & Caietanas prudenter hanc sequens doctrinam , post Petrum de Palude , ita extalit quarundam particularium Ecclesiarum autoritatem in eiusmodi obseruantis , vt in illis innitens non dubitauerit postponere claram simorum Doctorum etiam sui magistri D. Thomæ doctrinam. Nam cum quereret de materia Sacramenti Eucharistie , an necessariò debeat esse panis triticeus , cum multi ita obseruandum esse affirmarent , & pro his ille argumenta tenderet : postremò quarundam nec ita nobilium Ecclesiarum ad-

216 V. B. T. DISPUTATIO IV. ORI
uersam consuetudinem inducens, rem pau-
cis sic conclusit. Ad hæc fundamenta si
liberè inspexerimus, nullum cogitatem
inuenitur habere rationem, nisi ultimum
propter autoritatem Spiritus sancti guber-
nantis Ecclesiam: hæc ille. Hactenus igit-
tur ista satis fint de mente & doctrina B.
Thomæ.

Nunc vos obsecro, Fratres optimi, B.
Bernardi sensum sedalò & affectione im-
proba vacantes perscrutemur, postquam
existimatis illum hac parte potissimum mi-
litare pro vobis. Ego verò si causa ad æquū
& prudentem iudicem deferatur, hoc uno
contra vos tanti viri solo testimonio certa-
re velim ad confutandam cuiuscumque
duriam. Audite igitur & veritatem ipsam
ingenuè recognoscite. Cooperat de repente
Lugdunensis Ecclesia cuiusdam reuelatio-
nis admonitione celebrare de immaculata
Conceptione B. Virginis. Cùm ad aures
sancti illius Abbatis ea fama peruenisset,
sapientissimè considerans: quam sit pericu-
losum, quemlibet cultum in Ecclesiis non
sanè probatum admittere, zelo sancto per-
motus cœpit inuehi aduersus illius cele-
berrimæ Ecclesiae Canonicos, & eam no-
uitatem improbare. Hæc enim potissima
erat eius vrgens ratio, quod scilicet equi-
ritum nesciret Ecclesia, nec vlla commen-
daret antiqua traditio, sed priuata autori-
tas præsumpsisset. Vnde ait: Numquid Pa-

tribus doctiores aut deuotiores sumus? Pe-
niciulosè præsumimus quidquid in talibus
istorum prudentia præteriuit. Nec verò id
tale est quod, nisi prætereundum fuerit,
Patrum quiuerit diligentiam præterisse.
Hactenus ille. Argumentum in eos mouet,
eo quidem tempore validum satis ad repre-
mendum illorum ausum, quem ex leuitate
aliqua putabat inchoatum. At nunc iam-
diu argumentum istud euauit, cùm hunc
ritum omnis Ecclesia venerabiliter suscep-
perit, ac seruauerit. Quin, attendite fra-
tres, quām sit euident & certissimum argu-
mentum, hīc esse digitum Dei. Nam cūm
anni iam quadringenti fluxerint, ex quo
cœpta est Lugduni & in aliis etiam Eccles-
iis sensim hæc festivitas celebrari, num-
quam prorsus facta est vlla intermissio, sed
in dies altiores egit radices, cùm tamen in-
teriorim tot Sancti, tot Magistri ab initio eam
reprobarent, inter quos hic noster Abbas,
qui tam vehementer in eam excanduit.
Tantum abest ut quidquam hi omnes pro-
fecerint, ut contrà omnino, quanto prohibuerunt
seuerius & fortius clamauerunt, tanto magis
amplificatus est, & ubique
creuit hic cultus. Id verò qua poterat vir-
tute fieri, nisi diuinâ, & Dei spiritu? Sic
nunc & in posterum perpetuò eueniet;
quanto vos altius clamabitis, tanto magis
stabilietur hæc veritas. Habet enim fér-
mentum latens plenum virtutis, quo iam

fermentata sunt omnia. Soli vos paucissimi , & inter vos adhuc diuisi remanistis, qui nisi extrema pertinacia renitemini, etiam fermentabimini: ita confido in Dominu Iesu , qui quod pro Matre iam in Ordine vestro inchoauit, absolutè tandem perficiet.

Præterea animaduerte, quæso, rem mirificam. B. Bernardus omnino hoc festum reprobat : at B. Thomas tolerandum censuit. Considerate igitur vos ipsi mirum eorum etiam in hac defensione consensum. Quid causæ est , cur B. Bernardus illam omnino respuit , nisi ab autoritate atque exemplo Ecclesiæ , quæ tunc ritum illum nesciebat ? Erat enim eo tempore recens huiusmodi celebratio. Quare rursum B. Thomas tolerandum duxit , nisi quia tunc illum tolerabat Ecclesia ? Quid ergo inde colligemus ? Nonne fateri necessariò cogimur, si Romana Ecclesia B. Bernardi & Thomæ temporibus hoc festum ea solennitate recepisset, quemadmodum citra hæfitationem nunc recipit & celebrat, ambo fuisse etiam toto corde illud penitus amplexuros ? si enim Abbas ille deuotus propter Ecclesiam respuendum censuit , B. Thomas item propter Ecclesiam tolerandum , certè ambo etiam propter Ecclesiam quæ illud postmodò accepit, humiliè ac deuotè censuissent recipiendum. Ob hoc enim ille Abbas continuò adiecit: Nam

si sic videbatur consulenda erat prius Apostolicæ sedis autoritas , & non ita præcipitanter atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas : Hæc ille. Et adiecit : Ego quod ab illa accepi securus & teneo & trado. Quod verò non , fateor scrupulosius admiserim : hæc ille deuotissimus Abbas.

Considera, prudens lector, primùm verba fidei in eo quod ait : Ego quod ab illa accepi securus & teneo, & trado. Cur ergo pariter tu , mi frater , non hanc huius tanti viri fidem sequeris , vt ab ea quoque accipias, & securus in eo maneas quodcumque tibi tradiderit ? hoc te Abbas ille docet. Cogita & verba prudentiæ in eo quod adiecit : quod verò non, hoc est , quod ab ipsa Ecclesia non acceperim ab ea , continuò, penitusque damnauerim, aut etiam penitus non admiserim. Etenim multa quibusdam temporibus non erant ab Ecclesia cognita & accepta , & tamen non erant damnanda ; siquidem illa recepit postmodò, & probauit. Sed dixit , scrupulosius admiserim , id est, non facile, non leviter , non temerè , non inordinate admiserim, sed consulta prius ipsa Apostolica sede. Denique cùm in ea Epistola aliquot rationes, quæ videntur facere pro verstra opinione induxisset, non sibi, ac scientiæ propriæ confidens , sed timore sancto plenus ac fide, totam quæstionem in hæc

verba conclusit: Quæ autem dixi absque præjudicio sanè dicta sunt sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ autoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ huiusmodi sunt vniuersa, reseruo. Ipsius si quid aliter sapio, paratus sum iudicio emendare: hæc ille. Certusne es tandem, mi frater, si B. Bernardus nunc in terris ageret, non solùm non aperiret os aduersus Ecclesiā, sed certò videns declaratam eius mentem, id quod anteā protulit, iuxta protestationem suam emendaret, aut potius declararet? Nam reuera hunc modum præseruationis medium non cogitauit, contra quem nihil conclusit, ut superius puto me reddidisse manifestum.

Nolo autem quisquam hīc mihi opponat, illud ex eodem B. Bernardo & aliis qui cum secuti sunt, nimirum, si hæc celebritas fuisset admittenda, non præterisset veterum Patrum diligentiam. Hoc enim manifestis instantiis diluitur, cùm tempore B. Bernardi non esset institutum festum Corporis Christi, & festum Visitationis B. Virginis, & alia plura quæ olim Patres non cogitabant, quæ si quis nunc reprobare vellet, hæretici & schismatici esse spiritus conuinceretur. Quo spiritu ductus Lutherus, postquam festa fere omnia conculcasset, dixit. Nullum festum magis odi, quam festum Corporis Christi & Conceptionis B. Virginis. Nec fuit alia Ecclesia priscorum Pa-

trum ab ea quæ nostro tempore viget : sed vna eius est & eadem potestas, & autoritas. Nec Pontificum mores ponderandi sunt cùm de Cathedra decernunt. Sed hæc in Fratres meos , & ipsos quidem Thomistas inducere valde piget , cùm huius doctrinæ potissimum ipsi debeant esse Magistri.

Erat ergo tum locus ille à coniectura , non videri scilicet verisimile illud veteres præteriisse. Sed ubi veritas venit in lucem perspicuam , quid possunt aduersus illam coniecturæ? In incertis enim, non in certis locus est coniecturis. Iam patet quām latissimè Romanam Ecclesiam , & ceteras cunctas hanc celebritatem recepisse. Nostri autem Ordinis Fratres non constituunt per se Ecclesiam , sed sub Romana sunt : & tamen magna Ordinis portio, & ubi maximè vident cùm Scholasticarum , tum sacrarum literarum studia eam recipit, & nemine reclamante celebrat.

Quod verò omnes prisci Doctores ad coniectandum circa hunc articulum primariæ Ecclesiæ sensum , ab ipsius vsu & ritu aspicerint , ut illam veluti boni æmulatores sectarentur , multis argumentis confirmari potest. Ecce qui ad persuadendum renitentibus festi huius celebrationem instabant, obiiciebant B. Anselmum, quem dixisse ferebant: Non puto esse verum amatorem B. Virginis qui festum eius Conceptionis colere respuit. Ecclesia Romana

non celebrat, quæ tamen supponitur vera amatrix Virginis. Hanc respcionem probarunt cuncti illius temporis eximij Doctores, Ægidius, Ioannes de Neapoli, & Capreolus nostræ doctrinæ B. Thomæ accerrimus & strenuissimus defensor. Quid ergo ex hac respcione licet colligere, nisi quod omnes huius questionis resolutionem à facto Romanæ Ecclesiæ, quod nunc est notissimum, pendere confitebantur? Hugo Cardinalis manifestè, ubi ait Virginem originale peccatum contraxisse, ex eo inferebat, propterea eius Conceptionem non celebrari. Qui verò bonus est Logicus, ab opposito consequentis, necessariò colligit oppositum antecedentis.

B. Ioannes Dominicus Ordinis nostri in eodem loco scripsit: Libenter hoc, inquit, Mariæ concederem, si Ecclesia non repugnaret.

Thomas Argentinas Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini (ut iam meminimus) tutatus est hanc B. Virginis prærogatiuam cum aliis rationibus, tum hâc potissimum: quia Romana Ecclesia illam suo tempore incœperat celebrare. Et reuera hic unus est in fide nostra lapsus grauissimus, & præcipuum periculum, si huius autoritatem Ecclesiæ sinimus apud nos periclitari. Hinc enim, ut eleganter scribit B. Cyprianus, schisma & hæreses oriuntur: quia unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos,

& ad tempus iudex vice Christi non cogitatur. Quod si patimur, o Patres, hanc persuasionem inualescere, & apud eos etiam vigere qui se maximè Catholicos profitentur, certè (quod cum dolore dico, dicam tamen quia veritas est) Lutheranæ sectæ, imò communi omnium hæreticorum errori perniciofissimè fauemus. Nam in hanc Petram in omni suo dogmate impingunt, omnia respuentes, quæ ab ipsa fiunt sine Dei verbo, (vt aiunt) expresso. Quid, si quis obijciat, illos minus irrationaliter, quam vos hac parte loqui? Nihil enim non certum admitti volunt in cultu Dei, quod quidem sapienter dicitur, propter periculum idolatriæ : quo stante, in eo solum aberrant, quod nihil certum esse arbitrantur, etiam ab Ecclesia probatum, nisi fuerit verbo Dei, & in Scripturis expressum; ideoque totam Ecclesiæ faciem deturpant. Vos autem dum in iis ordinandis atque instituendis quæ ad cultum diuinum pertinent, aberrare posse Romanam & vniuersalem Ecclesiam existimatis, ac de facto in hac celebritate aberrare contenditis, incertum nobis omnem diuinum cultum redditis, & nutantem facitis Christianam fidem, quam præcipue in diuino cultu profitemur, atque protestamur. Minus autem insipienter erraretis nullos penitus cultus admittendo, quos Ecclesia instituit absque Dei verbo expresso (vt habet Lutheranum

dogma) quām illos admittendo, fateri simul posse eos esse mendaces, vt cuique licet ad libitum vel admittere, vel negare absque nostræ fidei præiudicio & scandalo. Mauult enim penitus non coli Deus, qui summa est veritas, quām mendacibus coli cultibus, aut incertis. Vix autem in Ecclesia Dei ullum est argumentum validius, quām quod ab institutis Patrum sumitur in cultu diuino. Vnde B. Paulus quō contumaces confunderet, hoc unum tanquam ceteris potentius seruavit sibi telum (& hoc eleganter notat B. Thomas) ritum videlicet & consuetudinem Ecclesiæ : Dixit enim : *si quis videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* 1. Cor. 15. Hoc uno lapide orthodoxi Patres hæreticorum frontem perfrengerunt semper & plurima euicerunt. Aduersus Anabaptistas quid robustius valuit ad confirmandum puerorum baptismum, quām Ecclesiæ consuetudo? Peccatum item originale nōnne potissimum à baptismo puerorum B. Augustinus euicit, & ab ipso baptismi ritu? Purgatorium itidem quo medio evidentius, quām à sacrificio, & precibus quas pro mortuis fundit Ecclesia, & semper fundere consuevit? & quid potentius contra Donatistarum hæreses olim obiectatum est, quām Ecclesiæ ritus & consuetudines? Vnde & contra D. Cypriani errorem disputans ille Beatissimus

Pater

Pater , quo autoritatem tanti martyris ,
(huius articuli dumtaxat gratiâ) retundet: non nisi hunc , hunc inquam murum
inexpugnabilem opposuit , videlicet : Ego
huius viri laudem , inquit, asse qui non va-
leo , eius multis litteris mea scripta non
comparo , eius ingenium diligo , eius laude
delector , eius charitatem demiror , eius
martyrium veneror : hoc quòd aliter sa-
puit non accipio , quia Ecclesia non acci-
pit , pro qua sanguinem fudit : hæc ille.
Sed innumera sunt & ea quidem certè gra-
uissima exempla , quibus obrui facilè pos-
setis , Fratres mei charissimi , quæ cùm
sciam vos non latere , consultò prætero.
Hæc pauca commemorauit ut applicetis
ad quæstionem , & cognoscatis vos hac
parte habere cùm veteres omnes , tum re-
centiores Doctores & Magistros , & præci-
pue quos vestros autores facitis , irrefra-
gabiliter contra vos contestantes.

* * * * *

*OSTENDITVR FRVSTRÆ & SPINA
publicatum fuisse librum Turrecremata,
qui ad veram illius Doctoris
mentem maxime proster-
nit aduersarios.*

POSTQVAM disputationem Car-
dinalis de Turrecremata pro ve-
stra opinione in medium produxi-
stis, superest nunc vt luce clarius
ostendam, quanta tantum virum iniuria
affeceritis, librum contra illius volunta-
tem, (vt nullus sapiens dubitare debet)
publicando, & quām strenuè etiam ipse
contra vos hac parte militet, quæ præiu-
dicum habet. Primum istud certo certius
est iuxta huius gloriosi viri doctrinam, Ec-
clesiam Romanam in his quæ ad cultum
Dei attinent errare non posse: quia fides
nostra, vt ille testatur, læderetur. Vnde pro
re indubitatissima affirmat Ecclesiam Ro-
manam in canonizatione Sanctorum nul-
lo modo errare posse. Si hoc est verum, vt
certè verum est, saltem iuxta huius viri
sententiam: redditur ergo perspicuum &
in promptu, totam eius disputationem con-
tra immaculatam Matris Dei Conceptio-
nem euancere. Siquidem perspicuum
nobis est & promptissimum ostendere, Ro-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 227
manam Ecclesiam non solum recepisse, verum etiam instituisse hanc solennitatem, & comprobasse, & iam diuturno temporis ritu illam & obseruatione perpetua confirmasse, & corroborasse. Quid igitur nunc diceret vir ille nedum Catholicus, verum etiam acerrimus Catholicæ veritatis, & illius Apostolicæ sedis peculiaris defensor? Nónne Ecclesiæ adhæresceret? Nónne vltro palinodiam apertè & ingenuè, (quemadmodum & alij multi) caneret: inter quos meipsum, licet omnium sim minimus, & tanquam abortiuus libenter an numero. Et ut omnes neruos prius ad impugnandam tantæ Dominæ prærogatiuam intenderat, ita nunc illos ad defendendam illam fortius conuerteret. Volo hoc totum lector absque ylla dubitatione comprobat ex illiusmet viri testimonio, & in eodem libro, vbi disputatione aduersus hoc priuilegium. In parte enim nona illius libri, cap. 10, vbi de celebratione huius festi agitur, cum ex aduersorum disputatione aduersum se opposuissest, ab Ecclesia Romana hanc celebritatem iam fuisse receptam, & tam Cardinales, quam Episcopos, & ceteros de Curia conuenire solere ad eius solennia, & audire Sermones, qui eam celebritatem declarantes veritatem huius prærogatiuæ astruebant; ille respondit his verbis: Ad istam rationem dicitur, negando quod Ecclesia Romana, siue sedes Apostolica festiuitatem

illam aut instituerit, aut canonizauerit, aut pronunciauerit, aut celebrauerit, aut in Calendario annotari iusserit. Non enim quidquid fit in Romana Curia, aut per Dominos Cardinales, aut Episcopos, & populum, aut per Scriptores Breuiarium, aut Missalium dicitur Ecclesia Romana, siue sedes Apostolica fecisse, aut mandasse, aut instituisse: imo ipsa quæ nullis vñquam temerariis nouitatibus succubuit (vt in capite, A recta. 24. q. 1.) aliis in exemplum celebrare hoc festum videotur recusasse. Non enim Ecclesia Romana, vt loquimur communiter de Ecclesia Romana, pro sede Apostolica, in qua totius Ecclesiæ Dominus principatum collocauit (iuxta Cap. Basilicas, de consecrat. dist. 1.) dicitur celebrare festum aliquod, quando Cardinales, aut Prælati siue populus Romanus, aut Domini de Cancellaria pro sua deuotione conueniunt in aliqua Ecclesia Missarum solennia audituri: sed quando summus Pontifex cum Collegio Reuerendissimorum Dominorum Cardinallium solenniter in loco publico (vt moris est in aliis præcipuis solennitatibus) celebrat & festiuat. Quod non facit in hoc festo, vt tam ex Doctorum magnorum libris, quam ex ipsa experientia rerum magistra cognoscimus. Licet enim sedes Apostolica toleret quod alicubi hoc festum celebretur, supponens celebrantes sanum &

Catholicum respectum habere, non tamen propter hoc approbare dicenda est: quia quod permititur, non approbatur, ut cap. denique, dist. 4. & in cap. hac ratione 31. q. 1. Ex quibus vnuſquisque clarissimè videre poterit, quām parum conuincant argumenta ex aduerso fundata super hoc, quōd Ecclesia Romana instituerit, aut celebrauerit hanc festiuitatem. Hæc ille Cardinalis; quæ fortasse eo tempore potuissent vtcumque (quamquam ægrè admodùm) satisfacere. Sed demus tunc satisfactum esse. Nunc certè, Deo gratia est, per hæc ipsa proprius Autor conuincitur, colligatur, constringitur. Et illud citra dubitacionem, magno Dei miraculo fit, vt ipsa arma quæ in nos affertis, eadem in vestrum interitum fabricata sint. Ecce enim sancta Romana Ecclesia in qua Dominus totius Ecclesiæ constituit & collocauit principatum, & nullis vñquam temerariis nouitatis (vt ipse met egregiè tradit & confitetur) succubuit. Illa, inquam, S. Romana Ecclesia summo Pontifice teste, cuius vocem etiam sacrosancta Synodus Tridentina vnanimiter approbauit, iam olim instituit, pronunciauit, canonizauit, & celebrauit hoc festum, & ita exerte ut nulla alia expositione sit opus: imò eò vsque clarè, vt omnem vestram reiiciat interpretationē: ipse enim summus Pontifex in Capite: Graue nimis, sic ait: Sanè cùm sancta

Romana Ecclesia de intemeratæ , semper-que Virginis Mariæ Conceptione publicè festum solenniter celebret , & speciale ac proprium super hoc Officium ordinauerit , nonnulli (vt accepimus) diuersorum Ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diuersas ciuitates & terras affirmare hactenus non eruuerunt , & quotidie prædicare non cef-sant , omnes illos qui tenent , aut asserunt eandem gloriosam & immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam , mortaliter peccare , vel esse hæreticos : eiusdem immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes , audientesque Sermones illorum , qui eam sinè huiusmodi macula conceptam esse affir-mant , peccare grauiter . Sed & præfatis prædicationibus non contenti , confessos super his suis assertionibus libros in publi-cum ediderunt : ex quorum assertionibus & prædicationibus non leuia scandala in mentibus fidelium exorta sunt , & maiora meritò exoriri formidantur in dies . Nos igitur huiusmodi temerarijs ausibus ac per-uersis assertionibus ac scandalosis quæ ex-inde in Dei Ecclesia exoriri possunt (quan-tum nobis ex alto conceditur) obuiare vo-lentes , motu proprio , non ad alicuius no-bis super hoc oblatæ petitionis instantiam , sed de nostra mera deliberatione & certa scientia , huiusmodi assertiones Prædicato-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 231
ram eorundem, & aliorum quorumlibet
qui affirmare præsumerent, eos qui cre-
derent, aut tenerent eandem Dei Genitri-
cem ab originalis peccati macula in sua
Conceptione præseruatam fuisse, propter-
ea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel
mortaliter peccare: aut huiusmodi Ofi-
cium Conceptionis celebrantes, seu hu-
iusmodi sermones audientes, alicuius pec-
cati reatum incurrere, ut potè falsas &
erroneas, & à veritate penitus alienas, edi-
tosque desuper libros prædictos id conti-
nentes, quoad hoc, autoritate Apostolica,
tenore præsentium reprobamus & damna-
mus: ac motu, scientia, & autoritate præ-
dictis statuimus & ordinamus, quod Prædi-
catores verbi Dei, & quicumque alij cu-
iuscumque status, gradus, aut Ordinis, ac
conditionis fuerint, qui de cetero, ausu te-
merario præsumperint in eorum sermoni-
bus ad populum, seu alias quomodolibet
affirmare huiusmodi, sic per nos improba-
tas & damnatas assertiones veras esse, aut
dictos libros pro veris legere, tenere, vel
habere, postquam de præsentibus scien-
tiam habuerint, excommunicationis sen-
tentiam eo ipso incurvant, à qua ab alio
quam à Romano Pontifice, (nisi in articu-
lo mortis) nequeant absolutionis benefi-
cium obtinere. Item motu, scientia, & au-
toritate similibus, simili pœnæ ac censuræ
sufficientes eos qui ausi fuerint asserere

contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica sede decisum. Hæc summus Pontifex. Quo in loco æquos vos arbitros imploro; frille vir Catholicus Turrecremata in terris ageret, & tam expressam Pontificis vocem & determinationem audiret, nonne manus vitrò daret, & primus cremari librum illum suum iuberet, videns hoc uno solo Ecclesiastico fulmine cuncta quæ tanto labore construxit subruisse? Et tamen suus illi reddendus est honor, qui pro suo zelo acutè & ingeniosè causam istam etiam cum laude defendit, ut cum honore seperaretur. Scripturas protulit quæ illi in speciem videbantur attestari. Similiter sanctos Patres, & Doctores egregios, qui olim plurimum in scholis profecerunt. Certavit igitur illo tempore absque vitio, absque periculo: immo, ut ego existimo, etiam cum merito, qui se pro veritate pugnare arbitrabatur, tantis præuiis ducibus & autoribus fretus. Verum illuc usque satis, quia tunc ab utraque parte pro Ecclesia certabatur, quæ nondum mentem suam patefecerat, Spiritu sancto interim cuiusque zelum tentante ac spectante. At nostra præsenti ætate quando iam clara est pronunciatio, auderentne vir ille pius iuxta ac

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 233
doctus vterius contra Matrem communem sacrosanctam Romanam Ecclesiam quidquam mutire?

Et nunc, obsecro vos Patres & Fratres, adiicite fidei oculum, & perspicaciam, & considerate quò res tandem paulatim mira Dei benignitate adducta est, sicut est proprium sapientiæ spiritus disponentis omnia suauiter iuxta statum, & conditionem temporum. Nam cùm festum hoc repente non posset in Ecclesiam penetrare, cœpit occulta Dei inspiratione primò à quibusdam Ecclesiis celebrari. Hoc persenserunt Custodes domus & serui boni, qui instar canum fidelium sibi metuentes ab ingressu extranei hominis ac furis, cœperunt latrare in cœlebrationem illam, quam de facie non agnoscebant. In hoc statu invenitus est B. Bernardus fidelis Domini seruus ac prudens, qui velut bonus Catulus candidus & subrufus (qualis adhuc in vtero existens in somnis à matre visus est) cœpit latrare. Noluit enim deesse officio sibi diuinatus commisso: quoniam periculosè presumi vir prudens arbitrabatur, quod Apostolica sedes non cognouisset. Perseuerabant tamen illæ Ecclesiæ etiam post hos latratus editos in suscepto iam ritu & cultu: imò & aliæ insuper aggregatæ sunt quæ cœlebrationem illam admittebant. Hanc igitur cùm latius in dies serpere animaduerterent serui alij domestici & canes

Domini fideles , partim similiter indignabantur, partim verò qui prudentiores erant à latratu quidem abstinebant: quoniam ad Patremfamilias aspicientes , videbant eum et si celebritatem huiusmodi non probauis- set, non tamen improbare, quin potius per- mittere ac tolerare. Itaque pro sua ipso- rum prudentia eam celebritatem in eam partem trahebant , quam existimabant ve- riorem : potissimum cùm cernerent ipsum patremfamilias nondum illam in suum proprium penetrale domus admisisse , id est , in Romanam Ecclesiam. Et in hoc temporum statu inuenti sunt D. Thomas, & Bonaventura. Cœpit ergo postmodùm hæc celebritas vires fortiores acquirere, & usque in penetralia domus ingredi , & in Romana celebrari Ecclesia : Et summus Pontifex sua præsentia illud festum etiam honorare cum fratribus suis in facello pro- prio priuatim ac publicè. Tum canes bene sagaces continuerunt latratus , agnoscen- tes rem non iam extraneam sed domesti- cam , notam , & claram Domino domus. Quidam verò subdubitarunt rati hæc sub- reptitiè fieri, & ipso patrefamilias minus rē totam ponderante: quo in statu viguit Do- minus de Turrecremata. Venit tandem tempus cùm paterfamilias expressis verbis, solenni decreto ex certa scientia & delibe- ratione eam celebritatem recepit , & pro- prium, & particulare Officium & Missam

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B.V. 235
ordinavit atque instituit, ut pater in Xistina
illa, *Cum præcessa*, &c. Ex quo quidem
facto turbati sunt aliqui, & latrare non sunt
veriti in patremfamilias, vociferari perpe-
ram illud esse factum. At mox obturatum
est illis os & meritò. Arguebant enim ipsi
patremfamilias: quod certè non est opus fi-
delis, sed rabidi canis. Nata est itaque illa
ciusdem patrisfamilias alia Constitutio iam
recitata: *Graue nimis*, &c. Qua tamen non
obstante surrexerunt nunc denuò illi Spi-
næ & tribuli, qui adhuc latrare, imò &
morsibus lacerare non desinunt quod san-
ctum est. Quos tandem moneo, ut animad-
uertant, quanto miraculo iamdudum om-
nia prorsus in quibus confidebant, conuer-
sa sunt illis in mendacium, & in argumen-
tum contra ipsos potissimum, ut queant
verè dicere, si animaduertant: *Digitus Dei*
est hic.

Sunt qui dicant Romanam Ecclesiam
olim celebrasse de Sanctificatione, non de
Conceptione: quod ideo fingunt, ut Ma-
trem suam de instabilitate fugillent, quasi
priùs illis fauerit, ac deinde sententiam
mutarit, ut minor ei fides adhibeatur. Sed
nunquam ita se res habuit: quoniam Eccle-
sia Natiuitatem celebrabat in qua sanctifi-
catio in vtero celebrabatur, sicut testatar
B. Bernardus. Sic sanctificatio B. Ioannis
Baptistæ honoratur, dum eius celebratur
natiuitas. Nunquā ergo celebravit sub no-

mine Sanctificationis, sed dies ille infestius olim in illa Ecclesia transibat, & in alijs multis, & sicut dies Nativitatis eius festiuus qui diurno temporis cursu siluit. Deus enim pedentim hæc in suam Ecclesiam introduxit, ut omnia maturè fiant. Festum autem sanctificationis postmodò superfluo est introductum ad æmulationem aduersus Ecclesiam, quæ sub nomine Conceptionis celebrabat, ab ijs qui falsam celebrationem illâ putabant. Ne autem ea die omnino silerent, sanctificationis festum nulla Ecclesiæ autoritate probatum inuenerunt: quod solum apud nostros, nec hoc in toto, sed in dimidiato Ordine durat. Verum citò Dominō procurante spero & confido cessatum, postquam omnis prorsus est illis sublata excusatio.

Dicebant enim ab initio (Nota prudens lector quo paulatim redacti sunt.) Ecce Romana Ecclesia non celebrat. At nunc contra opportunè in eos dicitur: Ecce iam dandum coepit celebrare Romana Ecclesia. Dicebant: Non instituit illam celebrationem, sed tantum permisit. Et nos: Ecce ne-dum permisit, sed etiam iam solenni Decreto instituit, & quod ipsa instituit, tandem generale Tridentinum Concilium nemine reclamante comprobauit. Dicebant (imò etiam nunc aliqui dicunt, postquam hoc in libro nouo Turrecrematæ legerunt) in Ecclesia sanctæ Mariæ Maioris in Vrbe ce-

lebratur sub nomine Sanctificationis; quasi
verò si fortè hoc verum fuerit aliquando,
necessè sit esse verū sēper. Sed demus fuisse
verum olim, (quod tamen nequaquam le-
gitimè probatur, nec ego puto verum) ec-
ce nunc iam mutatus est ritus. Celebratur
enim ibi palam de Conceptione. Cur igit-
ur vos pariter cum illa, postquām eius
nobis autoritatem obijcitis, ritum vestrum
non mutastis? Aiebant similiter & obiecta-
bant ex eodem libro: Apud Ordinem Car-
thusiensium, quem meritò integerrimum
& sacerrimum appellant, obseruari cele-
britatem sanctificationis, non Conceptio-
nis. At hoc etiam antiquatum est. Cele-
braunt enim nunc omnes totius Christiani-
tatis religiosorum Ordines de Conceptio-
ne, hac vna (ut veros filios decet) auto-
ritate permoti, quia sic magistra omnium
Ecclesiarum Romana Ecclesia celebrat.
Nec enim somniculosè atdierūt b. bernar-
di sententiam aientis: *Ego quod ab illa accepi
securus & teneo, & trado.* Vultisne videre
pro eodem deuoto Abbatे feruētiūs zelan-
tes quām ipsiusmet Ordinis professores?
Nam & Cistercienses, & Clarauallenses ad
quos pertineret suum Doctorem & Patrem
defendere, illud festum immaculatæ Con-
ceptionis celebrant. Potiūs enim ad men-
tem sui Abbatis, quām ad argumenta aspi-
cientes, illius Epistolæ conclusionem pru-
denter considerarunt, & ad quos ille remit-

tebat, eius voci paruerunt, nimirum Ecclesiæ Romanæ, ut securè tenerent quidquid ab ea acciperent. Producebant & Mauritium olim Episcopum Parisiensem, qui (ut testatur Guillelmus Altisiodorensis) prohibuit, ne Parisiis hoc festum celebraretur. At nos post vnum illum producimus pro nobis omnes quotquot subsecuti sunt post Episcopi Parisienses, & legem illius celeberrimæ & doctissimæ Vniuersitatis, quæ piaculum aliter opinari seuerissime statuit. Producebant & nescio quas particulares Ecclesiæ, ut Gerundensem, & si quas forte alias. At hæc omnia argumenta nudum eorum causam iuuant, sed egregie damnant, eosque de intolerabili (si vterius repugnare velint) peruvicacia conuincunt. Quoniam omnes nunc ritum celebrationis mutarunt, & Romanum amplexatae sunt. Quin & ipse noster Ordo secum minimè constat, cum Transalpini fratres nostri Ordinis sapientissime concedant, & morem vniuersalis Ecclesiæ sequantur sub nomine Conceptionis celebrantes: inter quos tamen non desunt doctissimi Patres, & Magistri, qui in lectione B. Thomæ Italis non cedunt.

Vos igitur si aliorum autoritate & exemplis olim mouebamini ut in ea opinione persisteretis, eisdem mutatis, cur non item & vos mutamini, vt ab opinione decedatis, cum & magna ex parte etiam vestri à vo-

PRO VERIT. IMM. CONCEPT. B. V. 239
bis descierint? Quid tentatis Dominum
in illa Ecclesia? Numquid fortiores illa
estis quæ fregit omnium capita quicun-
que cornua exixerunt in illam? Iam omnes
Ecclesiæ, iam cuncti Ordines, ex quibus
numerofam Doctorum multitudinem col-
legistis, etiam vester magna ex parte, ut
dixi sub nomine Conceptionis cum bona
pace suorum Doctorum, diem colunt festi-
uum. Quid ergo? soli vos in orbe Chri-
stiano sapientes estis, & vobiscum sepelie-
tur sapientia? O fratres mei dilecti, an non
senticitis iam hoc esse nimium? Non est enim
illa sobrietas, quam commendat Apostolus
iuxta mensuram fidei. Quod enim ad ex-
cusationem soletis obijcere, Romanam Ec-
clesiam non decidisse questionem hanc, sed
vnumquemque permettere in suo sensu a-
bundare, non vos releuat à iusta duræ cer-
uicis reprehensione: multò autem minus
quosdam à temeritate & arrogantia. Esto
enim fuerit olim hoc vobis Matris benigni-
tate donatum. At dies ipsa, id est, tempo-
ris diuturnitas, iamdiu per se vos admone-
bat, ut aliquando considerantes vestram
opinionem ab omnibus Ecclesiis & Religio-
forum omnium coetibus deserí, & vos so-
los in ea remanere adhuc diuisos, libentes
& volentes postposito veritati pudore de-
cederetis de sententia. An putatis (& istud
omnino consideratione dignum est) Ro-
manam ipsam Ecclesiam, quam reliquæ

omnes, ut par est, sectantur, postquam semel eam celebrationem ex certa scientia suscepit, & aliis suscipiendam tradidit, vlla ratione probare posse quidquid illi palâ vel priuatim aduersetur? Et ob eam causam, si vultis veritatem capere, non aliud expresso Pontificis verbo vobis indulgetur, quam oppositam partem absq; hæresis nota tenere, cum hoc vnum, quod scilicet hæretici sitis, nondum à Romana Ecclesia, & Apostolica sede sit decisum. Hoc inquam, vnicum est quod indulxit vobis Pontifex, vt vel ipse Spina ex verbis Decretalis animaduertit. At, quod oppositum vel prædicetis, vel doceatis præsertim mitentes in publicum (quod citra magnum scandalum & infirmorum conturbationem fieri non potest) nec permittitur vobis, nec stante illo decreto permitti potest; quoniam in Apostolicæ sedis iniuriam & Spiritum eius ad nutrienda zizania & schismata redundaret.

Quod si rursum obijcitis: Cur ergo vel nunc nobis permittitur celebrare de Sanctificatione, non de Conceptione, sic ostendentes alium cultum reprehensibilem esse? Respondeo me non arbitrari vos eò usque esse ignaros vt non ipsimet apprimè sciatis quid momenti habeat hæc vestra obiectio. Vtinam non multa essent alia scandala, quæ speculatores non corrigunt: & istud vnum est illorum, cuius grauitatem (quæ iam nimia

nimia est) non ponderant. Deinde multa ad duritiem nostram tolerant ne deteriora contingant. Ob eam causam tolerati sunt olim Iudæi in suis ceremoniis, donec mortiferæ factæ sunt. Contrarium tamen & falsum cultum certa scientia in sua Ecclesia tolerari, Dei prouidentia non patitur, nam vos qui sanctificationem celebratis , nihil falsi exprimitis. Nemo enim sanctificationem negat, & quidē à peccato, sed à nobis discrepatis in sensu, non in verbo: quoniam à peccato incuso vultis sanctificatā ; nos autem ab eo quod incurrire debuit, nī præseruata fuisset ; quod sanctificationis genus longè dignius est, vt abundè declarauiimus. At vestrum erat à communi cultu non recedere, nec nouum vobis quasi soli sapretis , contra Ecclesiam fingere , quæ in vos hac parte merito conqueritur : spreuerunt me iuniores tempore.

Quapropter reliquum tandem est , Patres obseruandiss. & fratres dilectissimi atque intimi cotidi meo , vt iustum querimoniam Christiana ac pia mente suscipiatis , nec aspernatis consilium pacis , quod à vera charitate proficiscitur. Satis iam, superque , satis utrumque certatum est , & iam plus nimio datum contentionibus. Quod si victoria quæritur, quæ gloriosor potest excepti victoria , quam segregare se à contentionibus , & salua fide consentire Matri vestrae Ecclesiæ ? Considerate celebritatem

DISP V T A T I O

hanc , (quæ suo iure tandem aliquando à
vobis obedienter suscipi deprecatur) non
nisi cum maiore in dies multorum scanda-
lo & opprobrio vestro respui à vobis vlte-
rius posse . Sancta enim Tridentina Synodus
nenine Patrum discrepante , Xistinas illas
Constitutiones de hac celebritate , coram
oculis vestris confirmauit , & obseruari
mandauit . At in prima illa Constitutione
intonat Apostolica vox , inuitans omnes
Christi fideles , vt de B. Virginis mira &
immaculata Conceptione dignas Deo grati-
tas & laudes referant , celebrando Missas ,
& Officia signanter ad hoc ipsum ab ea
composita & instituta : Cur igitur vos qui
inter Christi fideles non sinè laude connu-
metamini , & fauorabiliter atque imme-
diatè sub Romana Ecclesia concludimini ,
tantam Celsitudinem non intuemini , &
summi vestri Pastoris , à quo tot gratiis , &
immunitatibus , & priuilegiis honorati esitis ,
vocem benignam non agnoscitis , sed re-
muitis : soli vos viiius Prædicatorum Or-
dinis in se adhuc hac in parte diuisi ? An
vobis ipsis testimonium hoc vestro facto
perhibere vultis (quod horreo vel cogita-
re) vos iam inter Christi fideles nequa-
quam numerari ? Aut potius vos paucissi-
mi spernitis totam reliquam Ecclesiam
Dei ? Non ego quidem ista dico , sed vos .
Vos , inquam ipsi , hoc facto vestro id indi-
care , & id loqui videmini : licet reuera non

ita sit. Definite igitur trepidare timore, vbi
iam sublatus omnis est timor & considerate
ad Catholicam, & vobis oportunius ser-
uientem sanctissimi illius Abbatis Bernardi
sententiam: Ego, inquit ille, quod ab illa
accepi, securus teneo & trado. Accipite
& vos vt securi teneatis & tradatis: alioqui
quis non iudicabit vos illius autoritate
contra eiusdem autoritatem abut?

Verum vt vos in angustum concludam,
interrogo vos. Putatisne in hac celebratio-
ne, quam Romana tradit Ecclesia, & Tri-
dentinum Concilium confirmauit, vllum
esse peccatum, seu peccati periculum, an
non? Si primum asseritis, eiusmodi assertio
iamdudum ad perfringendam eorum te-
meritatem qui ita blasphemabant, securè
damnata est ab illa Sede, in secunda Decre-
tali, Graue nimis, vt falsa & erronea, ac
penitus à veritate aliena. Et quicumque
illam asserit, sententia prosternitur ana-
thematis. Si autem hoc asserere non pote-
stis, nec audetis, quid ergo causæ assignari
à vobis potest, cur in tam piam & securam
sententiam cum reliquo Christiano orbe
non concurritis? Profectò non alia fingi
causa potest, nisi quod saltem vestra repu-
gnantia contestamini inesse peccatum sic
celebrare, ac propterea turpissimè & gra-
uissimè peccare Ecclesiam Dei, quæ cùm
sit Mater omnium & magistra, non so-
lum ita celebrando, peccat: verum etiam

talem celebrationem proponens, aliis peccati materiam præbet. Itaque constitutis vosmetipos censores & iudices tantæ sedis, & omnium Ecclesiarum, & Ordinum, & Vniuersitatum, quæ à vobis (vt nostis) apertè toto corde dissentunt: nec Ecclesiæ definitionem , quæ hunc vestrum sensum iamdudum damnauit, tenetis: cuius sententiam quam & Tridentina synodus (vt diximus) comprobauit , contemnitis. Hæc autem à quónam spiritu originem trahant, cogitandum vobis ipsis relinquo , ne cogar duriora prosequi. Ego enim cum omni hac mea querimonia, protestor ante Deum & vos Patres , Ordinem vestrum , imò & nostrum, à me & amari, & obseruari sicerè in Christo , & in Matre peculiariter illius protectrice, & ita amari ut nemini pro meo gradu cedam. Ob eam causam nollem ullam prorsus maculâ eius gloriam obscurari. Nam cùm in ceteris gloriose incedat, hoc unum retinet quo plurimi scandalum merito patiuntur: quoniam multi vestrum illam Virginem macula aspergunt , quam omnis Ecclesia sponsi vocem audiens concinit penitus immaculatam.

Ceterū quòd in istos , quos suo ipsorum cognomine non ab re Spinas appello, possem fortassis à quibusdam qui grauitatem rei non ponderant , videri vehementius commotus , non puto ad ullam Ordinis pertinere contumeliam. Isti Spinæ sibi

meritò hæc accersierunt , qui suis illis virulentis aculeis & punctionibus , quæque speciosa ac pretiosa (quod in eis fuit) fœdarunt & lacerarunt . Profectò longè adhuc duriora , quam stylò paulò acriore retundi merebantur . Quid enim ab istis Spinis euomi potuit iis fœdius , quæ in Præfatione ex illorum scriptis produximus ? Ni mirum quinquaginta & octo erroribus in fide omnes totius Orbis Catholicas Ecclesias , omnes Catholicos inuolti , qui hanc celebrationem colunt : cuius præcipuos defensores appellant nouitatum amatores , immoderationis audaciæ , ac petulantis inscitiae denique alienum admodum à sacris literis , dissonum ab Euangelio Christi , & humanum commentum , vanam insuper deuotionem , & Christiana religione indignam , imò & impietatem ? quis tam nullius zeli pro Ecclesia sancta reperiri potest , quem ista iniuriarum & mendaciorum portenta non commoueant ?

Nam vt finem nostræ disputationi tandem imponamus . Putatisne sacrosanctam Romanam Ecclesiam levitate ferri , vt sit aliquando vel opinionem vestram amplexatura , vel saltem cultum illum reprobatura , quem semel Pontificio decreto suscepit , solenni omnium Ecclesiarum rito cum munificentissima indulgentiarum largitione iamdudum celebrare perseverat ? Annullum , quæso , potestis similis mutationis

exemplum proferre , quo in spem bonam
erecti expectare possitis ex vestra opposita
opinione victoriam ? si hoc vobis persuas-
fistis , quis non videt in quanto errore ver-
semuni , quamquam parum pie de prouiden-
tia Dei erga Ecclesiam & eius gubernationem
sentitis ? Quid si victoriæ spem
vobis erectam clare cernitis , cur non an-
teuertitis seueriorem aliquam Ecclesiæ
sententiam , quæ non patietur ulterius
serpere in dimidiato uno Ordine opinio-
nem diuino cultui repugnantem ? Quid
enim vobis præter imminens periculum
publicæ ignominiae restat ? Reddita sunt
iam vobis clara omnia. Probatum est sen-
tentiam nostram non solum Christi digni-
tati non detrahere , sed magnificentissime
illam extollere. Matrem Filio non æquari,
sed locum ei ex Filij meritis conuenienti-
sum dari. Soluta sunt sanctorum Patrum
argumenta. Omnes totius orbis Ecclesiæ ,
omnes Religiosorum Ordines celebrant ,
Vniuersitates celeberrimæ comprobant. Ip-
sa tandem sacrosancta Romana Ecclesia
grauissimo decreto per Concilium Tridentinum
confirmato iam sanxit. Quem igitur
finem vobis proponitis ? Vosne ea spe
sustinetis , vt totus Christianismus cul-
tum suum deserat , & vestræ opinioni ad-
hærescat , sicque petendam esse à vobis
impostorum Ecclesiasticarum solennita-
tum veritatem credat ? Non existimo

certe ita vos desipere. Vestrum igitur est sapienter veram Ordinis gloriam quæcere: quam tum demum sartam rectam existimare debetis, cum gloria Christi, & Matris potissimum studebitis, & ab insitigatis Rom. Eccles. non recedetis. Quod futurum propter Dei bonitatem & merita illius mitissimæ Matris, & Patris nostri Dominici, & filiorum eius, quos per illum Dominus in gloriam adduxit, spero & confido.

Nunc ad vos me vero, sanctissimi Patres, obnoxè orans atque obsecrans, ut si quæ scripsi, ad gloriam Christi, & amantissimæ Sponsæ & Matris, & ad Romanæ Ecclesiæ, reliquarumque omnium, & Catholicarum Universitatum defensionem, & ad amouendas iamdiu nimis agitatas contentiones, & præscindenda scandala & schismata, pertinere cognoscitis, autoritatem vestram interponatis, vt (quemadmodum par est) id ipsum præsertim in diuino cultu dicamus omnes; cum iuxta Ecclesiasticos Canones non liceat à capite membra discedere. Nam cum multa ad persuasionem faciant, illud certe plurimum apud vos momenti habere debet, quod (ut superius memorauimus) ille schismaticus Lutheri spiritus illam insignem inter alias blasphemiam ex illius ore emoruit: Nullum festum magis odi, quam festum Cor-

poris Christi, & Conceptionis B. Virginis.
Hinc enim satis intelligi potest, quid Spiritus veritatis & unitatis à vobis pro Mater Dei postuleat ac desidereret, de qua verè scriptum est, *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.*

FINIS.

SS.

P A T R V M ,
S A C R O R V M

C O N C I L I O R V M ,

S V M M O R V M P O N T I F I C V M ,
Academiarum, aliorūmque singularium
sine numero, utriusque classis Scripto-
rum, Clericorum, & Regularium:

PRO DEIPARÆ VIRGINIS MARIAE
Conceptionis illibatae in quocumq;
instanti temporis defensione
militantium

T E S T I M O N I A .



A V T O R E S

SANCTI EX VETERI LEGE.

*Pro sacratissima Virginis Mariae immaculata
Conceptione.*

S. I.


EV S Opt. Max. Genesij 3.
 Serpenti dixit ; Inimicitias po-
 nam inter te & mulierem , &
 semen tuum & semen illius , &
 ipsa conteret caput tuum. Ita habet vulgata
 lectio ex sententia sanctorum Patrum, Au-
 gustini 12. de Genesi ad litteram , cap. 39.
 & lib. 2. de Genesi contra Manichaeos ,
 cap. 18. Ambrosij , de fuga seculi , cap. 7.
 Gregorij 1. Moralium , cap. 19. Bernardi
 ser. 2. in Missus est , & plurimum aliorum .
 Quibus verbis intelligunt inter Mariam
 Virginem , & dæmonem fuisse perpetuum
 dissidium , quo nimirum , sicut Iudith suo
 cum Holopherne conflietu , huius caput
 amputauit, Iudith 14. & Iahel Sizaræ caput
 clavo transfixit Iudic. 4. Sic Maria caput
 dæmonis contriuit : Nomine verò capitis
 dæmonis, peccatum Originale intelligitur;

Et enim, inquit D. Augustinus, originalis peccati subiectio est caput diaboli: Et quidem apposite; si enim rei alicuius principium nomine capitum soleat designari, non immerito primum quod in homine dæmon causavit opus, nempe peccatum, in omnes homines origine propagatum, à quo cetera omnia tanquam à suo fonte promanant, eius caput poterit appellari. Hoc ergo caput singulari Dei Optimi, Maximi priuilegio B. Virgo calcauit & protriuit, dum pro omni temporis momento in sua Conceptione ex meritis Christi Filij sui ab omni labe initialis culpæ fuit præseruata. Ad quod sanctus Idiota lib. de contemplatione vitæ, cap. 4. attendens, sic illam alloquitur: Per te ô semper benedicta Virgo Maria vita angelica reducitur, innocentia reparatur, diabolus vincitur, & conteritur, quia de te scribitur, *Ipsa conteret caput tuum.* Hesychius etiam tomo 2. Bibliothecæ Patrum profitetur D. Virginem dæmonis audaciam contriuisse. Ex quo Dionysius Carthusianus in 3. sent. dist. 3. insertum numquam fuisse originali peccato fœdatam. Horremus, inquit, mulierem quæ caput serpentis erat contritura, quandoque ab eo contritam: atque diaboli filiam, Matrem Domini fateri. Insuper & Dominam Angelorum seruam fuisse peccati, atque amantisimam Dei Patris filiam, quandoque fuisse filiam iræ.

David Rex, & Propheta, Psalmo 86.
Eundamenta eius in monib[us] sanctis, &c.
Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam
Altissimus. His verbis denotatur sacratissimæ Virginis immaculata Conceptio: ut
enim optimè ait Petrus Comestor, antiquus & eruditus autor, lib. de immaculata
B. Virginis Conceptione, oportuit eam ab
ipso fundamenti primordio præ ceteris ali-
quod dignitatis fortiri priuilegium, quæ
secretorum Dei in se suscep[t]ura erat arca-
num: Attende, & hoc audi quod testimonium huic fundamento dederit Prophetarum eximiūs: *Homo natus est in ea*, & ipse
fundauit eam Altissimus. Intellige quod ait,
ipse fundauit eam, ipse, non aliis: non ve-
tus Adam, sed nouus nouum iecit funda-
mentum, super quo tam præclarum, tam
insigne surgeret ædificium. Alioquin si ve-
teris ruinæ māsere vestigia, si veteri super-
ædificatum est, vetus Adam & non ipse
fundauit eam Altissimus. Quod enim fun-
datur, non ab alio, sed à seipso materiali-
ter incipit. Certè si recens, si non tam in-
solitum Propheta tantæ nouitatis miracu-
lum obstupescens non exclamaret dicens;
Numquid sion dicet homo, & *homo natus est*
in ea? &c. Dicat ergo, dicat Ecclesia: sal-
ue festa dies, salue dies veneranda Conce-
ptionis in qua initiatum est sacramentum
nostræ redēptionis, per quam extincta
est versatilis, & aperta ianua nostræ salu-

tis. Id ipsum prius docuerat D. Augustinus tract. de quinque hæresibus, cap. 5. vbi inducit Christum loquentem. Ego Matrem de qua nascerer feci, ego viam meo itineri præparaui, hanc quam despicias, Manichæ, Mater est mea, & manus fabricata est mea: si potui inquinari cùm ficerem, potui in illa inquinari cùm ex ea nascerer.

Salomon Rex, Cantici Canticorum 2. sicut lilyum inter spinas, sic amica mea inter filias: quæ verba sic exponit Fridericus Naussea Episcopus Viennensis, Homilia 81. Etsi ex lege naturæ omnes filiæ humanæ spinosæ, id est, in peccato conceptæ sint; Maria tamen sanctissima Virgo per legem gratiæ immaculata mansit, non secus ac lilyum inter Spinas, quæ et si sunt quamlibet horridæ, asperæ, rigidæque, atque tumidæ, crescit tamen subter ipsas sine macula lilyum ipsum speciosissimum nihil suæ virtutis amittens. Et D. Anselmus de conceptu Virginali cap. 4. Lilyum, inquit, potest nasci inter spinas & illis non pungi; sic Mater Christi potuit concipi inter peccatores, & peccato non tangi. Hinc Adamus de sancto Victore sanctam Virginem his salutat verbis:

Salve verbi sacra Paren,

Flos de spina, spinâ carens,

Flos Spineti gloria.

Nos Spinetum, nos peccati

*spinā sumus cruentati
sed tu spinæ nescia.*

Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea,
& macula non est in te.* Sanctus Idiota cap.
2. libri supra citati. *Tota pulchra es in ani-
ma per virtutum & charismatum omnium
perfectam pulchritudinem.* *Tota pulchra
es in tua conceptione ad hoc solum effecta,
ut es in templum Dei altissimi.* Et post pau-
ca. *In summa nullo genere vacasti virtu-
tum, o Virgo gloriofissima, non in parte, sed
in toto, & macula peccati, siue originalis,
siue actualis, siue mortalis, siue venialis non
est in te, nec unquam fuit, nec erit, sed
adest omnis gratia naturalium bonorum,
spiritualium charismatum, & cœlestium
donorum.*

Eodem Cap. 4. *Hortus conclusus soror mea
sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* D. Hiero-
nym. ser. de Assumptione B. Virginis, si-
ue ut alij volunt, Sophronius Ierosolymitanus Epistola 510. *Hortus conclusus, fons si-
gnatus, putens aquarum viventiarum, ad quem
nulli potuerunt doli erumpere, nec præua-
luit frans inimici, sed permanxit sancta-
mente & corpore. D. Damascenus etiam
oratione 2. de Assumptione docet ad hunc
hortum nunquam serpentem aditum ha-
buisse.*

Cap. 7. eiusdem Cantici : *Quam pulchri-
sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!*
Idcirco, ait Rupertus Abbas, ancillæ nem-

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 255
pe Euæ calcaneum à serpente admorsum,
quia discalceata erat. Tu verò, ô filia Prin-
cipis probè calceata serpentis caput con-
trivisti.

Ecclesiastici 24. *Quasi plantatio rosa in*
Ierico. Qua ratione B. Virginis rosa epithet-
ton competit exponit Cælius Sedulius lib.
2. Operis Paschalis, tomo 8. Bibliothecæ
Patrum, his versibus.

Ac velut in spinis mollis rosa surgit acutis.
Nil quod lœdat habens, matremque obceu-
rat honore;

Sic Euæ de stirpe sacra veniente Maria
Virginis antiquæ facinus noua Virgo piaret.

Isaias Propheta, Capite 1. *Egredietur vir-*
ga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.

D. Maximus ser. de Assumptione B. Mariæ.
Hoc operante, inquit, prouidentia diuina
ex radice vitiata fine vitio prodiit virga,
qua intelligitur Beatissima Virgo Maria, at-
testante Isaia qui dicit, *Egredietur virga de*
radice Iesse. D. Hieronymus ad cap. 11. Vir-
gam de radice Iesse, sanctam Mariam Vir-
ginem intelligamus, quæ nullum habuit
fruticem sibi cohærentem, de qua legi-
mus: Ecce Virgo concipiet. Et Epist. 22. ad
Eustochium: Virga, Mater est Domini, sim-
plex, pura, sincera, nullo extrinsecus
germine cohærente, & ad eam similitudi-
nem Dei vnione secunda. D. Petrus item
Damianus ser. de Annunciatione. Germina
virga Iesse de tortuosa radice generis hu-

256 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
mani, & de Patriarcharum arbore in altitudinem & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem: foliorum tenebras nescit, fructicosa quoque non habet.
D. etiam Anselmus lib. 1. de conceptu Virginali, cap. 6. Ego, piissima, qualiscumque seruulus credo & fateor, quod tu ex radice Iesse pulcherrima, ac per hoc, ab omni quod te decoloret peccati vulnera aliena, integerima permanens, florem pretiosissimum protulisti: Post hos omnes sanctos per pulchre eadem verba exponit de B. Virgine Iacobus Schoepperus presbyter, in Opere concionum, excuso Coloniæ 1570. conc. 6. Virga oritur quidem ex arboris radice, sed radicis fortes non habet: quippe quæ sit & intus tota candida, & extrinsecus omnino viridis. Est igitur sensus, quod & Messiae Mater concipienda quidem, ac nascitura ex parentibus peccato Originali infectis: verum concipienda ac nascitura citra originalis peccati fortes, & immaculata, & omnium virtutum virore prædita.

Ezechiel Propheta, Capite 43. *Ista est lex domus Domini in summitate montis, omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorum erit. Triplex locus agnoscebatur in templo Ierosolymitano. Primus non sanctus ubi degebat populus. Secundus sanctus, qui solos Sacerdotes & Leuitas excipiebat, ut accenderent lucernas, adolerent incensum,*

propo-

propositionis panes mutarent, &c. Tertius Sanctum Sanctorum dicebatur, quia in eo Arca fœderis, supra cuius propitiatorium Deus sedebat, & in quem solus summus sacerdos ingrediebatur. Iam verò de solo templo mystico, quale fuisse docent sancti Patres, B. Virginem, verissimè dicitur, quod omnis circuitus illius Sanctum Sanctorum fuit, nihilque prophanum, & non sanctum in eo extitit. Nec mirum cum in illam solus summus Pontifex Christus ingressus fuerit. Quod clarius idem Propheta cap. 44. expressit dum ait: *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam* (turpius esset si diabolus transiisset) *quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Quid est, inquit D. Augustinus ser. 4. de natali Domini: Porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta, &c. Sanctus Maximus, ser. de B. Virgine: Hæc porta clausa, quæ fuit admirabilis Dei Parens, cœlesti tabernaculum gloriae, de quo speciosus prodiit sponsus, lux gentium, spes fidelium condecorans & congruè nulla macula originali commaculata est.

Consultò omittuntur hic innumera alia testimonia Scripturæ veteris Testamenti, ut Prou. 8. *Dominus possebit me, in initio viarum suarum.* Ab aeterno ordinata sum, Ps. 45. *Adiuuabit eam Deus manè diluculò, & 84. Benedixisti, Dominus, terram tuam.* Et Ester

258 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.

I^s. Non pro te constituta est hac lex, sed pro omnibus aliis: Sicut & variæ figuræ quibus immunitas B. Virginis ab originali culpa adumbratur, ut Paradisi terrestris amœnissimi à Deo solo effecti: Adam & Euæ ex terra non maledicta formatorum: velleris mundissimi rore cœlesti perfusi: Arcæ ex lignis Setim imputribilibus constructæ, intus & foris de auratæ: Throni Salomonis ex ebore candidissimo, licet ex Elephante animali foedissimo procreato: Terræ sacerdotalis nullis subfidiis subiectæ: Illa enim, & similia, præfatam Dei Matris Mariæ Conceptionem purissimam passim sancti Patres, & Doctores tam in scholis publicis, quam in templis præsignificasse non minùs eleganter, quam eruditè, piè, & deuotè demonstrant.



AUTORES IN LEGE GRATIAE
pro *immaculata B. Virginis*
Conceptione.

5. II.

ANGELVS Gabriel. *Lucæ* 1. dicitur: *Missus est Angelus Gabriel à Deo ad virginem, &c.* Et ingressus Angelus ad eam dixit: *Ave gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quibus in verbis sancti Patres à macula originali præseruationem agnoscunt: imprimis sanctus Gregorius Neocæsariensis Episcopus, ser. de Annunciatione. Angelus, inquit, primò omnium illud, *Ave gratia plena præsignauit;* quoniam cum ipsa totius gratiæ thesaurus reconditus erat, ex omnibus enim generationibus hæc sola Virgo sancta corpore, & spiritu extitit, solaque fertur qui Verbo portat omnia. Et ser. 3. *Missus est seruus incorporeus,* ad Virginem inuiolatam: missus est à peccato liber, ad corruptionis, seu labis expertem. Deinde D. Athanasius in Euan gelium de sanctissima Matre Dei. Idecò gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus sancti omnibus gratiis obumbraret, & virtute Altissimi obum-

260 TESTIMONIA SS. PAT RVM, &c.
braretur, quam virtutem per omnia tem-
pora conceptus etiam habuisse confido;
nec enim id temporarium in Virgine ac-
cidisse opinor, sed per omnia tempora hoc
illi datum. Item D. Fulgentius, serm. de
laudibus B. Virginis. Cum dicit *Aue*, sa-
lutationem illi cœlestem exhibuit: cum
dixit, *plena*, ostendit ex integro iram ex-
clusam primæ sententiæ, & plenam bene-
dictionem gratiæ restitutam.

Ipsa Beata Virgo Maria. Quampluri-
bus utriusque sexus se sanctè conceptam
diua Dei Mater reuelauit, præcipue ve-
rio sanctæ Brigitæ viduæ Sueviæ Regi-
næ, ut refertur lib. 1. Reuelationum, cap.
9. Facto corpore meo, inquit, Beata Virgo,
Deus à diuinitate sua animam creatam im-
misit corpori; & mox anima cum corpore
sanctificata est, quam Angeli custodiebant,
& seruabant die ac nocte. Cùm autem ani-
ma sanctificaretur & corpori coniungere-
tur tanta Matri meæ aduenit lætitia, vt
impossibile esset dictu: Sed clarius lib. 6. c.
49. vbi postquam docuit plus esse meriti in
eo qui iussus à superiore manducat, quam
qui ex denotione ieiunaret; Id ipsum, in-
quit, contigit parentibus meis, quando
fui cōcepta. Nam pro certo dico tibi, quod
ex charitate diuina, & verbo Angeli con-
uenerunt, non ex concupiscentia aliqua
voluptatis, sed contra voluntatem suam
ex dilectione diuina. Veritas est quod absq;

peccato Originali fai concepta : vnde si-
cut nullus fuit qui non peccauerit Filiu
meo excepto & me ; ita nullum fuit pa-
rentum meorum coniugio honestius. Rur-
sus cap. 55. eiusdem libri : postquam iterum
præmisit B. Virgo ex obedientia & charita-
te, non affectu libidinoso, conuenisse spon-
progenitores, propter quod conceptio de-
bet censeri preiosa & aurea, subdit. Sed
scito quod conceptio mea non omnibus
nota fuit, quia voluit Deus quod sicut ante
legem scriptam præcessit lex naturalis ; &
electio voluntaria boni & mali ; ut posteā
veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes
inordinatos motus : Sic placuit Deo quod
amicis sui piè dubitarent de Conceptione
mea, & quilibet ostenderet zelum suum,
donec veritas claresceret tempore præor-
dinato. Ecce quomodo B. Virgo profiteretur
se conceptam nulla peccati Originalis ma-
cula foedatam, quod non omnes assequuntur.
Quantæ autem veritatis, & autorita-
tis huius Sanctæ reuelationes sint, intelliget
quilibet modò illi constiterit post exactum
earum examen factum per præclarissimos
Cardinales, eruditissimosque Theologos
iussu summorum Pontificum Gregorij II.
Urbani VI. Bonifacij IX. sententiam la-
tam, totum quod in illis continebatur ve-
ritate conspicuum esse, & sanctitate ple-
num, proindeque reuelationes illas au-
thenticas esse à Dei Spiritu veraciter tradi-

tas, & ad utilitatem legentium & audi-
entium pro saluberrimo fidelium dog-
mate in Dei Ecclesia in perpetuum cum
deuotione & reuerentia studiosius obser-
uandas.

D. Andreas Apostolus. De quo Abdias
Babylonicus lib. 4. suæ historiæ, & Presby-
teri Achaiæ lib. de Passione S. Andreæ re-
ferunt, ipsum hæc inter alia habuisse ver-
ba cum Egea proconsule : Et quoniam de
terra immaculata factus fuerat homo pri-
mus, qui per legem præuaricationis mun-
do mortem intulerat, necessariò de imma-
culata Virgine natus est perfectus homo in
quo Dei filius.

D. Iacobus Minor Apostolus, & primus
Hierosolymitanus Episcopus, in sua Litu-
gia, siue Missa sæpe B. Virginem appellat
sanctissimam & immaculatam. Commem-
orantes, inquit, sanctissimam, immacula-
tam, gloriofissimam Dominam nostram,
Matrem Dei, & semper Virginem Mariam.
Et paulò post. Commemorationem aga-
mus sanctissimæ, immaculatæ, & gloriofis-
simæ, benedictæ Dominæ nostræ Matris
Dei, & semper Virginis Mariæ. Et rursus,
Chorus respondens, ait; Verè dignum est, vt
te verè beatam dicamus Deiparam semper
beatam, & omnibus modis irreprehensam,
& Matrem Dei nostri honorabiliorum,
quam Cherubim, & gloriostorem quam
Seraphim, quæ finè corruptione Dei Ver-

bum peperisti, te reuera Deiparam magnificamus.

D. Marcus Euangelista, in sua etiam Liturgia ait; Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu. Imprimis sanctissimæ, intemeratae, benedictæ Dominae nostræ Dei genitricis, & semper Virginis Mariæ.

Sanctus Cecilius, Episcopus Eliberitanus, & Martyr, Apostolorum Discipulus, in libro de domo gloriæ, & domo tormenti, quibusdam abhinc annis, in quodam antro Montis sancti, prope Granatensem ciuitatem in Hispania, cum reliquiis reperto, & lingua Arabicâ scripto, inter alia hæc habet. Illa Virgo Maria, illa sancta, illa Virgo electa à primo, originarioque peccato præseruata fuit, & ab omni culpa libera: atque hæc veritas Apostolorum consilium est, quam qui negauerit maledictus, & excommunicatus erit, & salutem non consequetur, sed in æternum damnabitur. Hunc librum ut veram, & authenticum approbasse Concilium aliquod Prouinciale testatur Doctor Ægidius de Præsentatione lib. 3. de præseruatione B. Virginis, quæst. 3. art. vñico, sect. i. vbi etiam nonnullas difficultates quæ circa præfatum librum fieri possunt optimè dissoluit.

Atque hæc mirum in modum confirmant, quæ Basilius Legionensis, Salmanti-

264 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
censis Academiæ primarius Professor, serm.
quodam habito, & excuso Salmanticae an.
1614. in festo Conceptionis, refert ex an-
tiquis Autoribus, videlicet ex Iuliano
Presbytero Toletano, qui vixit ann. 1110.
is enim in suo Chronico ait, traditum fai-
se ab Apostolis B. Virginem hominis, Dei-
que Matrem peccatum Originale non con-
traxisse ; & Bernardum Archiepiscopum
Toletanum effecisse, ut celebraretur de-
uotè festum Conceptionis eius, quod præ-
dicauit in Hispania S. Iacobus. Flavius
Dexter idipsum tradit in suo Chronico his
verbis: A prædicatione B. Iacobi in Hispa-
nia colitur festum immaculatæ & illibatæ
Conceptionis Virginis Mariæ. Idem Basilius
testatur idipsum credidisse Maximum
Cæsaraugstanum à mille iam annis in
quodam Hymno à se composito in laudem
Ecclesiæ Cæsaraugstanæ in honorem
Conceptionis purissimæ constructæ, in
qua apparuit D. Virgo B. Iacobo.

Ostendit ille se hilarem,

Suóque natalitio

Conceptionis aureæ

Templo manent encomia.

Propter quod D. Iacobus veritatem hanc
Hispanis nunciauit.

Conceptionis hunc diem

Iacobus Hispanos docet

Et prædicat, seu ceteri

Quacumque labe liberam.

Vnde etiam ortum habet ab Hispanis hoc festum celebrari.

Hinc mos habet principium,

Hunc celebrandi iugiter

Populis Iberis diem,

Qui durat usque hodie.

S. Martyr Hippolytus, Portuensis Episcopus, in Oratione, de consummatione mundi, B. Virginem vocat impollutam, immaculatam; Cùm, inquit, Saluator mundi genus humanum saluare decreuisset ex immaculata Maria Virgine natus est, & in figura carnis hostem conculcauit suæ diuinitatis propria potentia.

S. Chrysippus, in Bibliotheca veterū Patrum to. 2. ser. 2. de Laudibus Mariæ, inducit dæmonē confusum propter quod illi accidit ex productione B. Virginis, & post varias rationes concludit: Præstabat mihi ut Euam illam antiquam non inducerem in dolum: satius erat mihi per serpentem illam non decipere; quasi diceret; Quid mihi profuit mediante serpente priam mulierem decipere, si hæc secunda, quæcumque à me excogitata dissoluat? melius certè mihi fuisset non superasse primos illos homines, cùm virtute huius ex illis propagatae tot tantaque damna eueniant.

S. Gregorius Thaumaturgus, Ser. 2. de Annunciatione: Diuam Virginem alloquens: Quoniam & tu sancta, inquit, es omni humana creatura gloriosior, ac pu-

266 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
rior, & sanctior effecta, ac niue quidem
candidorem habens intentem, quo quis au-
tem auro, quantumuis probato purifica-
tum magis corpus.

D. Cyprianus, Ser. de Christi Natiuitate, paulò post initium; Nihil in hac re petit vltio, nec præcedens delestatio aliquam expetiit pœnarum usuram, Spiritu sancto obumbrante, incendium originale extinctum est, ideoque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis, quoniam plurimum à ceteris differens, naturâ communicabat non culpâ: vnde & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spirituali, & corporali intus & extra Christi præsentia fruebatur.

S. Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus, præter testimonium allatum supra, ser. ad idem Euangelium, de Deipara sanctissima; Dicimus inquit, eam iterum atque iterum, & semper & vndeque beatissimam.

= D. Ephrem Syrus. Ser. de laudibus sanctissimæ Dei Matris, ita incipit. Inuiolata, integra, prorsusque pura Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantium, Domina mea gloriosissima, eadémque optima, sublimior cœlicolis, purior solis radiis & splendoribus, honoratior Cherubim,

sanctior Seraphim, & incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus glorioſior,

Iisdemque epithetis eam celebrat idem Ephrem sequente encomiastica eius oratione: Immaculata, & intemerata, incorrupta, & prorsus pudica, atque ab omni forde ac labore peccati alienissima Virgo Dei sponsa, ac Domina nostra, quæ Deum hominem mirifica tua Conceptione genuisti.

D. Basilius Magnus, Seleuciae Episcopus in sua Liturgia. Commemorantes, ait, sanctissimæ, & intemeratæ, dominatricis nostræ, Deique genitricis Mariæ, cum omnibus sanctis. Et sæpe ibidem repetitur vocabulum sanctissimæ, immaculatæ.

S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus, In Psal. 118. ser. 22. & versum illum, Errauis scut ouis quæ periiit. Veni ergo, inquit, & quære ouem tuam, iam non per setulos, non per mercenarios, sed per temetipsum; suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est: suscipe non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labore peccati.

D. Epiphanius, Ser. de laudibus Mariæ. Virgo est lilyum immaculatam, sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubim & Seraphim, placens Christo regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna, &

Mater sancta, Mater immaculata, solo Deo excepto, cunctis superior existis.

D Hier, in Psal. 77. exponens illa verba,
Et deduxit eos in nube diei. Ecce Dominus venit in Aegyptum in nube leui. Nubem leuem aut propriè Saluatoris corpus debemus accipere, quia leue fuit & nullo peccato prægrauatum est. Aut certè nubem leuem debemus sanctam Mariam accipere nullo semine humano prægrauatam. Ecce Dominus venit in Aegyptum sæculi istius super nubem leuem Virginem, & deduxit eos in nube diei. Palchro dixit, diei, nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.

S. Chrysostomus Constantinopolitanus Præful, in sua Liturgia tom. 5. Bibliotheca veterum Patrum. Memoriam agentes inquit, sanctissimæ, incontaminatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ. Et rursus: Verè dignum est glorificare te Deiparam, & semper beatissimam, & penitus immaculatam Dei nostri Matrem, honorabilorem Cherubin: gloriosiorem incomparabiliter Seraphin, quæ citra corruptionem Deum peperisti; verè Deiparam te magnificamus, Aue gratia plena.

D. Augustinus Hippomensis Episcopus, in ser. de nativitate B. Virginis alloquitur illam his verbis: Magnifica illum qui te ab omni peccato super omnes homines præ-

seruauit : Quis enim dicere poterit , sine peccato sum natus , aut mundus sum ab omni iniquitate dicere audebit ? nisi Virgo illa prudentissima, animatum templum Dei excelsi , quam Deus sic elegit & prælegit ante mundi constitutionem , ut sancta & immaculata Mater Dei esset , & filia ab æterno præseruata , incorrupta ab omni labe peccati . Loqui autem sanctum Doctorem etiam respectu conceptionis , hinc facile colligitur , quod alioquin inquirenti , quis dicere potest natus sum sine omni peccato , respondere posset , plures , nempe Ioannem Baptistam & Ieremiam , de quibus legitur in Scriptura in utero matris ab originali fuisse sanctificatos .

Celebre testimonium est eiusdem Doctoris lib. de nat. & gratia cap. 36. vbi postquam ostendit omnes peccatores esse , subiungit , excepta Virgine Maria , de qua propter honorem Domini cum de peccatis agitur nullam habere volo quæstionem ; inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum , quæ concipere & parere meruit eum , quem constat nullum habuisse peccatum . Hac ergo Virgine excepta , si omnes illos sanctos & sanctas cum hic viuerent congregare possemus , & interrogare , utrum essent sine peccato ; quid fuisse responsuros putamus ? Utrum hoc quod Pelagius dicit , utrum quod Apostolus , nonne

vna voce clamassent ; si dixerimus quia peccatum non habemus ipse nos seducimus , & veritas in nobis non est ?

Quòd verò eximius Doctor ab originali B. Virginem excipiat, docet D. Berhardus infra suo loco referendus, & Theologi communiter recentiores ; post Jacobum de Valentia Cristopolitanum Episcopum ex Ordine eiusdem D. Augustini assumptum , in expositione Cantici Magnificat , & versus : *Quia fecit mihi magna qui potens est : conclusione quinta , cuius verba quoniam mentem sui P. & Doctoris optimè est asseditus placet hic apponere. Aduertendum est, inquit , quòd cùm Pelagiani negarent peccatum primorum parētum cum suis pēnis & onere in omnes posteros fuisse translatum : sed assererent vnumquemque ex libertate voluntatis, & propriis viribus naturalibus posse vitare omne malum & peccatum , & facere omne bonum , si velit. Contra hanc pestiferam doctrinam Pelagianam Augustinus confecit libros de baptismo paruolorum, & plures alios, in quibus probat illud peccatum primorum parentum originaliter transisse in omnes posteros per naturalem & libidinosam generationem propagatos , & sic probat neminem esse liberum secundum naturam ab illo peccato , nisi solum Christum, mediatorem Dei & hominum , qui non ex opere Adam natus est. Et ideo non fuit obli-*

gatus in Adam , sicut ceteri homines prae-
ter Christum fuerunt obligati peccato ,
& in se fuerunt peccatores secundum na-
turam. Sed cum Pelagius & Julianus ar-
guendo contra Augustinum adducerent
in exemplum complures veteris Testa-
menti, quos sacra Scriptura iustos appel-
lat, scilicet Abel, Enos, Noe, Abraham,
Isaac & Iacob, &c. Ad hoc respondet Au-
gustinus lib. de natura & gratia, quod licet
Scriptura sacra illos iustos appellat ob in-
gentes virtutes : tamen non fuerunt liberi à
culpa originali , nec aliquando à peccato
actuali : & si aliquando vitarunt peccata
actualia , hoc non fecerunt ex propriis vi-
tribus naturæ , cum in eis esset natura vi-
tiata & corrupta, sicut in ceteris; sed hoc fe-
cerunt per gratiam præuenti ad vitandum
peccatum. Item cum rursus arguerent me-
morando Ioannem Baptistam , Simeonem
iustum , & Ioseph, quos justos Euangelica
commendat autoritas : & Innocentes de
quibus dicitur in Apocalyp. quod sinè ma-
culâ sunt ante thronum Dei. Ad hoc re-
pondet Augustinus , quod etiam illi non
fuerunt sinè peccato saltem originali , sed
quod fuerunt per gratiam iustificati ab ori-
ginali , & præseruati ab actuali. Ideò eos iu-
stos Euangelica appellat autoritas. Sed cum
rursus Pelagius & Julianus memorarent
Virginem Mariam Matrem Christi; cui di-
ctum est ab Angelo, Ave gratia plena , &c.

Tunc ad hoc respondet Augustinus in eodem libro de natura & gratia , quod hac Virgine excepta , si omnes sancti & sanctæ congregari possent & quereretur ab eis, an peccatum haberent , quid possent responderem : nisi quod Ioannes ait ; *si dixerimus quod peccatum non habemus nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est.* Ex quibus verbis patet quod Augustinus non solum exceptat Virginem Mariam ab actuali peccato sed etiam ab originali & veniali. Sed dicunt aliqui quod Augustinus non loquitur hic , nisi de peccato actuali , sed hoc est irrisoriè dictum : nam Augustinus in hoc lib. & cæteris loquitur de omni peccato & specialiter de peccato naturæ & originali , quod negabant Pelagiani. Item Augustinus comparat Virginem Mariam Ioanni Baptista , & Innocentibus , de quibus est certum quod nunquam peccarunt actualiter : & dicit quod nullus eorum potuit dicere se non habuisse peccatum , nisi sola Virgo Maria : ergo sequitur quod exceptat , & immunem dicit eam etiam ab originali.

D. Fulgentius Rusensis Episcopus , In ser. de Laudibus Mariæ. Maria in angusto corporis membro sustinuit quidquid sustinent cœli , plena sunt viscera , & nullum nouit contagium Virginis conscientia.

S. Idiota. Præter allata in superioribus ex ipso , Cap. 6. de contemplatione. Inuenisti Virgo gratiam cœlestem , quia fuerat in te

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 273
in te ab originali labe præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superuenientis & Filij conceptio.

D. Ioannes Damascenus, Oratione de Natiuitate Mariæ. O Beatos Iohachim lumbos, ex quibus semen omnino immaculatum fluxit! O præclaram Annæ vuluam! in qua tacitis incrementis ex ea auctus & formatus fuit foetus sanctissimus. O Beatum ventrem, qui viuum cœlum cœlis latius peperit. Item in eadem Oratione. O sanctissima Iohachim & Annæ filia! quæ principatus ac potestates fecellisti, quæ in spiritu thalamo versata es, atque immaculata conseruata in Dei sponsam.

D. Petrus Damianus, Ser. de Assumptione B. Virginis Mariæ. Caro Virginis Mariæ ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiae puritas in candorem lucis est conuersa. Et ser. de Natiuit. eiusdem. Nihil vitij in eius corpore, aut mente vendicare sibi potuit locum, quæ totius Trinitatis meruit esse sacramentum.

S. Fulbertus Carnotensis, In salutationem Angelicam. Ave electa insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem totius sanctitatis.

S. Bruno Carthusiani Ordinis institutor. In Psalmum 101. sic loquitur de B. Virgine. Hæc est incorrupta terra illa, cui benedi-

274 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
xit Dominus, ab omni præterea contagio-
ne peccati libera, per quam vitæ vitam
agnouimus, quæ quia digna fuit, Dominus
è cœlo in terram aspexit.

D. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, Ordinis sancti Benedicti. Hic sanctus, quamuis aliquando contrarium fortiter tenuisset, constantem tamen immaculatæ Conceptionis defensorem fuisse postea, quæ sequuntur manifestè ostendunt. In 2. Epist. ad Corinthios cap. 3. ad illa verba; *Quoniam si unus Christus mortuus est, & omnes mortui sunt: Si unus, inquit, Christus pro omnibus mortuus est, id est, ut omnes vivant, ergo omnes mortui sunt in anima per peccatum, quorum vivificatio quæsita est morte unius qui peccato solus carebat.* Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei sive originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est. Et item lib. de excellentia Virginis Mariæ: Nulli dubium est castissimum corpus & sanctissimam animam eius, funditus fuisse ab omni macula peccati, iugi Angelorum custodia protectam, vt pote aulam, quam summus omnium Creator Deus corporaliter inhabaturus. Hunc sanctum fuisse primum, qui Anglos induxit ad celebrandum Conceptionis B. Virginis festum communiter profitentur Doctores; idque propter tria

miracula facta eiusdem Virginis precibus,
& exposita in Epistola ad Coëpiscopos An-
glicanos , quam Franciscus Biuarius in suo
libro, inscripto , *sancti Patres vindicati à
vulgaris sententia, contra immunitatem B. Vir-
ginis, ex pluribus grauissimis Autoribus, &
manuscripto Codice antiquissimo,* (quem
Cardinalis Baronius in Notis ad 8. diem
Decembris commemorat , asseruatür-
que in Bibliotheca Congregationis Ora-
torij Rom. seu S. Mariæ Valliscellæ)
apponit verbo ad verbum , libro priori de
Anselmo. Sed quia paucis eadem miracula,
& causas refert Ioannes Bacconius An-
glus Carmelita in 4. Sententiarum, dist. 2.
qu. 4. a. 2. idcircò verba huius Autoris ti-
bi subiicio. Quod debeat celebrari in die
Conceptionis carnalis , scilicet octaua die
Decembris festivitas Conceptionis , patet
per authentica miracula , quæ refert An-
selmus Cantuariensis Archiepiscopus in
Epistola ad Coëpiscopos Angliæ. Primum
est de Helsmo Abbe Ramensi (alijs Hel-
cinus, vel Heluinus) hic enim dirigebatur
per Regem Angliæ ad Daciam ad tractan-
dum de pace ; quia iam præparauerat An-
gliam armis sibi subiicere , quasi iure here-
ditario debitam. Sed pace feliciter obtenta,
maximam maris partem redeundo transie-
rat. Mox horrenda tempestas orta est , &
remis fractis , funibus ruptis , cadentibus
velis , spes salutis amittitur. Inuocantibus

verò Beatissimam Dei Genitricem Mariam, quasi inter medias vndas nauis proximum perspiciunt quendam insula Pontificali decoratum, qui ad Abbatem dixit: Si vis sanus ad patriam redire, diem Conceptionis Matris Domini nostri Iesu Christi, octauo die Decembris deuotè celebra, & prædica celebrandum. Quod cùm deuotè promisisset Abbas, cum sociis concito flatu ad littora Anglicana applicauit.

Secundum est de sacerdote, qui ab adulterio rediens in fluvio Sequanæ à diabolo est submersus, licet pro tunc Horas B. Mariæ Virginis ore promeret. Die autem tertio ad locum ubi eum dæmones affligeabant venit B. Dei Genitrix Maria, & dixit eis: Ut quid mei famuli animam afflixistis? Responderunt, quoniam capta est in opere nostro. At illa: ergo nostra debet esse, quoniam Matutinas nostras, dum vos cum peremistis decantabat. Fugientibus dæmonibus animam detulit ad corpus, & per brachium arripiens hominem resuscitatum de profundo fluuij ad ripam incolumente deduxit. At ille pedibus eius est prostratus, dicens quid pro tot beneficiis retribuam? Respondit Mater Dei, Conceptionis meæ festum octauo die Decembris celebres, & prædices celebrandum.

Tertium est de quodam Diacono, germano Regis Vngariæ, qui de cōsilio parentum voluit nubere. Cùm verò Horas B.

Dei Genitricis decantaret, & antiphonam;
Pulchra es & decora filia Hierusalem, diceret,
 subito ei apparuit B. Dei Genitrix dicens:
Si ego pulchra sum, cur me dimittis, &
aliam accipis? At ille: *Quid vis Domina
 mea ut faciam?* At illa: In Conceptionis
meæ festum octauo die Decembris annua-
tim celebres, & celebrandum prædices, in
regno Vnigeniti mei eris laureatus. At ille
monachalem habitum accipiens, & tan-
dem Patriarcha Aquileiæ festum Concep-
tionis celebravit, & celebrandum cun-
ctis prædicauit. Hactenus Ioannes Bacco-
nius infra suo ordine apponendus. Verum
quidem est Arnoldū Vuion in Ligno vitæ,
visionem illam factam ipsimet D. Anselmo
contendere contra baronium. Ceterum
quicumque fuerit is cui primò B. Virgo
propter hunc finem apparuerit, parum in-
terest, modo constet de veritate illius ap-
paritionis, de qua iam nullus dubitat.

S. Bernardus Clarauallensis Abbas, serm.
 4. in Salve Regina, applicans B. Virginis
verba illa Cantici, Turris Libani, sic loqui-
tur: Libanus mons, qui dicitur dealbatio,
altam præ omnibus significat innocentiam
tuam: Innocens fuisti ab originalibus &
actualibus peccatis: nemo ita præter te:
vnde autoritas Augustini; Cum de peccatis
agitur nullam de B. Virginie volumus fieri
mentionem. Ex eo enim maiorem credi-
mus ei collatam virtutem ad vincendum

278 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
ex omni parte peccatum, quæ concipere
& parere meruit cum qui nullum habuit
peccatum. Ex omni, inquit, parte. Hoc
est, ex parte originalis, & ex parte actualis
peccati. Ea ergo sola excepta, ceteri omnes
quid dicere possunt, nisi quod ait Ioannes
Apostolus: *si dixerimus*, &c. Ego quoque
piæ fide opinor te in utero Matris tuæ ab
originalibus absolutam peccatis; nec vana
est fides, nec opinio falsa. Idem D. bernar-
dus ser. 3. de Coena Domini. Non est in
filiis hominum Magnus vel parvus qui non
in peccatis fuerit conceptus, præter Ma-
trem immaculati peccatum non facientis,
sed peccata mundi tollentis, de qua cum
de peccatis agitur nullam proorsus volo ha-
bere quæstionem.

Et quamuis in Epist. 177. ad Canonicos
Lugdunenses videatur contrarium docui-
se (a quo illum vindicat dictus biuarius)
Lectori sufficere debet, sanctissimum & eru-
ditissimum virum promptum animum of-
ferre ad in omnibus, Ecclesiæ Catholicæ
definitioni subscribendum, his verbis: Quæ
autem dixi absque præiudicio sanè dicta
sint sanius sapientis: Romanæ præsertim
Ecclesiæ autoritati atque examini totum
hoc, sicut & cetera quæ huiusmodi sunt
vniuersa referuo; ipsius si aliquid alter sa-
pio paratus sum iudicio emendare.

S. dominicus, Ordinis Prædicatorum
fundator, citatur ab autoribus ut pluri-

mùm in tractatu de Corpore Christi contra Albigenses, ita loquens: Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & numquam maledicta: ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cuius terra, id est Mater Virgo, nunquam fuit maledicta.

S. Bonaventura Cardinalis, Episcopus Albanensis, Ordinis Minorum. Quamquam Seraphicus hic Doctor aliquando fauerit opinioni existimanti labे peccati Originalis, Virginem fuisse aliquo parvo temporis spatio maculatam, nihilominus ab eadem omnem huiusmodi maculam removet, tom. 3. ser. 2. de B. Virginie qui incipit, *Ave gratia plena, Dominus tecum,* paulò post principium his verbis: Dico primò quod Domina nostra fuit plena gratia præueniente in sua sanctificatione, gratia scilicet præseruativa contra foeditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia præuenta, præseruata fuisset. Solus enim filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa Mater eius Virgo. Credendum est enim quod nouo sanctificationis genere in eius conceptionis primordio, Spiritus sanctus à peccato Originali (non quod infuit, sed quod insuisset) redemit, atque singulariter gratia præseruavit. Et de hoc potest expōni illud, *Gratia super gratiam mulier sensata et pudorata.*

S. Doctor Angelicus Thomas, ex Ordine

386 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
Prædictoram, in i. Sententiarum dist. 44.
art. 3. vbi inquirit, vtrum Deus potuerit
facere humanitatem Christi meliorem
quam sit, & sibi obieccisset 3. nihil melius
fieri posse etiam B. Virgine, quia, secundum
Anselmum, decuit ut Virgo, quam Deus
vnigenito filio suo præparauit in Matrem,
ea puritate niteret, qua maior sub Deo ne-
quit intelligi: sed nihil potest Deus facere
quod sibi in puritate æquetur, ergo vide-
tur quod nihil melius B. Virgine facere
possit. Respondet quod puritas intenditur
per recessum à contrario, & ideo potest ali-
quid creatum inueniri quo nihil purius esse
potest in rebus creatis, si nulla contagione
peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas
B. Virginis, quæ à peccato Originali &
actuali immunis fuit: fuit tamen sub Deo
in quantum erat in ea potentia ad peccan-
dum; sed bonitas intenditur per accessum
ad terminum, quod in infinitum distat, scili-
cket sumnum bonum, vnde quolibet finito
potest aliquod melius fieri. Id ipsum do-
cuit lectione 6. ad Caput 3. Epistolæ ad
Galatas, ut videre est in omnibus exempla-
ribus antiquis Parisiis impressis, usque ad
annum 1540. & 1541, correcta postmodum
per Magistrum Albertum Castrensem: ita
enim habet præfata lectione. Non dicit,
inquit, in seminibus quasi in multis, id est,
sicut faceret si de multis illud valeret; sed
in uno quod est Christus, quia ipse solus

est, per quem, & in quo poterunt omnes benedici : nam ipse solus & singularis est, qui non subiacet maledictioni culpæ, et si maledictio pro nobis dignatus sit fieri: unde dicitur in Psal. *singulariter sum ego, &c.* Item, *Non est qui faciat bonum, &c.* Eccl. 7. *virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato, Mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omnino immunis esset ad minus originali vel veniali: excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria. Quæ postrema verba desiderantur in Operibus à dicto tempore typis mandatis.*

Quod si sanctus Doctor videatur oppositum tenere tum i. 2. qu. 27. a. 2. dum ait, secundum fidem Catholicam firmiter esse dicendum, quod omnes homines præter solum Christum ex Adam deriuati, peccatum Originale contraxerant: tum 3. p. q. 27. a. 2. ubi probat animam B. Virginis non fuisse sanctificatam antequam corpori vniuersetur, quia nunquam alias incurrisset maculam peccati Originalis: vel benignè explicandus est, ut voluerit de fide esse omnes homines contraxisse, aut incurrisse debitum maculae originalis, non de ipsa macula actuali: vel certè hac in re minimè esse audiendum. Primum quidem suaderi potest (quod nempe de debito incurriendi labem Originalem veniat intelligendus illis locis) primò ex ratione qua id proba-

uit dicto art. 2. 3.p. quia alias, inquit, non fuisset redempta : cum tamen redemptio-
nis singularissimus & præstantissimus mo-
dus sumatur ex præseruatione à culpa
actuali, admissa obligatione cadendi in il-
lam, nisi præuenta fuisset dono gratiæ. Se-
cundò eiusdem interpretationis verborum
sancti Doctoris veritas colligi efficaciter
potest ex iis, quibus probat art. 4. eiusdem
27. quæstionis, b. Virginem nullum actua-
le, mortale, aut veniale peccatum commi-
fisse, ait enim; quos Deus ad aliquid eligit,
ita præparat & disponit, vt id ad quod eli-
guntur inueniantur idonei, secundum illud
2. Cor. 3. *Idcirco nos fecit ministros noui Te-
stamenti*: b. Virgo fuit electa diuinitus vt
esset Mater Dei, ideo non est dubitandum
Deum ad hoc idoneam reddidisse: vnde
Angelus dixit, *Inuenisti gratiam apud Do-
minum*; non autem fuisset idonea Mater
Dei si peccasset aliquando, quia honor pa-
rentum redundat in prolem, iuxta illud
Prou. 7. *Gloria filiorum Patres eorum*. Vnde
per oppositum ignominia Matris ad filium
redundasset. Tum etiam quia singularem
affinitatem habet ad Christum qui ab ea
carnem accepit: dicitur autem 2. Cor. 6.
Quæ conuentio Christi ad Belial? Adden-
quod singulari modo Dei filius, qui est Dei
Sapientia in ipsa habitauit, non solum in
anima, sed etiam in utero: Dicitur autem
Sapientiæ. 1. *In maleuolam animam non in-*

trobit sapientia , nec habitabit in corpore subditu peccatis. Ideoque fatendum est b. Virginem nullum actuale peccatum commisisse mortale , aut veniale , vt sic in ea impleatur quod Cant. 4. dicitur, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Ita argumentatur D. Thomas , ex cuius discursu efficacius demonstrari b. Virginem actuale peccatum non contraxisse manifeste constabit, si ponatur titulus illius articuli, Vtrū b. Virgo peccatum actuale mortale, veniale, aut originale habuerit , atque in hunc modum ratiocinetur. Si Deus à venialibus culpis non præseruasset D. Virginem, nunquam ei inimica & inuisa fuisset , vt pote habens in se gratiam sanctificantem , & charitatem non expellunt leues defectus: at non præseruando ab originali mortali vi istius fuisset obiectum condignum odio Dei , & filia iræ & abominationis. Si à venialibus non reddidisset immanem , adhuc ius retinuissest ad hereditatem æternam quæ est clara ipsius visio : permittendo illam conspurcari peccati Originalis infectione excluderetur de facto à consecutione illius gloriæ. Positis in B. Virgine culpis leuibus minimè dici poterat , maledictus dies & hora in qua concepta fuisset : at originali existente verè diceretur maledicta concepcionis B. Virginis, sicut & Iob, & reliquorum hominum. Procedamus vterius & addamus: in ignominiam Filij redundaret si ipse

284 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
non præseruasset Matrem à lapsu in veniale,
quia infamia Matris in filium redundat:
nónne in filij maius dedecus vergeret si-
nendo propriam Matrem culpa originali
coinqüinari? nónne plus per illud reces-
sisset a filio, vt pote Sancto per essentiam,
& magis accessisset ad Belial, maiusque
cum illo commercium contraxisset, quam
per peccata venialia, et si in infinitum
commisisset? Denique exigitur ut proprio
honorí consulat Filius Dei, animam & vte-
rum vnde quaque pulchrum suæ Matris &
ab omni leuissimo peccato actuali liberum
conseruando, quia sapientia non intrat in
corpus subditum peccatis; quanto magis
exiget Filius idem corpus, eandem animam
pulchram, ita ut nunquam denigrata, aut
infecta fuerit lethali culpa originali: sic
namque reuera impletur in ea illud Spousi
dictum, *Tota pulchra es amica mea, & ma-
cula non est in te.* His igitur attentè perpen-
sis suspicari meritò potest quilibet deletum
fuisse vocabulum, *originale*, à titulo di-
cti art. 4. ac proinde satis probabiliter
explicari posse D. Thomam locis allegatis
de contractione debiti, non verò culpæ
actualis.

Quòd si nihilominus extortam quis iu-
dicet præfatam explicationem, contendat
que ipsum de actuali labore contra facta intel-
ligendum: dico tunc non esse vlla ratione
audiendum, conuincitur ex doctrina eius-

dem D. Thomæ. Is enim imprimis inquirens 2. 2. qu. 10. a. 12. An paruuli infidelium sint baptizandi inuitis parentibus, sic respondet: Dicendum est consuetudinem Ecclesiæ maximam habere autoritatem, eamque in omnibus imitandam, quia ab Ecclesia Catholicorum doctrina habet autoritatem, vnde, inquit, magis standum est autoritati Ecclesiæ, quam Augustini, Hieronymi, aut alterius cuiuslibet Doctoris: hic autem Ecclesiæ usus nunquam habet quod filij Iudeorum inuitis parentibus baptizentur, licet fuerint olim multi Catholici principes potentissimi, inter quos Constantinus & Theodosius, quibus familiares fuerunt primo Silvester, secundo Ambrosius, qui non prætermisissent ab illis impetrare si hoc fuisset rationi consonum. Item idem D. Thomas dicta quæstione, 3. p. a. 1. in argumento sed contra, probat Ecclesiam celebrare b. Virginis Nativitatem, quia cum non celebretur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto, sequitur, inquit, ipsam b. Virginem in Nativitate fuisse sanctam. Et in art. 2. dum sibi obiecisset quosdam celebrare festum Conceptionis b. Virginis, ex quo euincitur fuisse sanctam, quod non celebretur festum nisi de aliquo sancto. Respondet, quod etiam si Ecclesia Romana Conceptionem Virginis non celebraret, tolerare tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum co-

286 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
lentium; unde illa celebritas non est, in-
quit, omnimodè reprehendenda. Cùm igi-
tur Ecclesia Romana non solum toleret,
sed etiam ipsamē huiusmodi festum solen-
niter celebret, Indulgentiis, & priuilegiis
cumulet illud colentes, & damnet om-
nes afferentes, contra fidem esse dicere. B.
Virginem præseruatam fuisse à peccato ori-
ginali; & tandem præferenda sit autoritas
Ecclesiæ autoritati cuiuslibet sancti Do-
ctoris, ex prælibatis secundū D. Thomam,
planè sequitur, si quis contrarium velit il-
lum docuisse minimè esse sequendum, si-
cut absque dubio nec ipse sanctus Doctor
seipsum in hoc, si viueret, sequeretur,
ut potè sanctissimus, & præ ceteris Ecclesiæ
obsequentissimus.


S. Laurentius Iustinianus Ordinis S. Be-
nedicti, Patriarcha Venet. in Fasciculo amo-
ris, cap. 7. Nemo ab ipso mundi initio vs-
que ad temporis plenitudinem (dumtaxat
eius Mediatore, eiúsq; Genitrice exceptis)
ingum dominationis euasit.

S. bernardinus Senensis, Ordinis Mino-
rum, serm. 49. tom. 3. qui est de amore
glorioso, comparans Angelorum pulchri-
tudinem cum pulchritudine animæ B.
Ioannis baptistæ, & explicans locum Mat-
thæi 11. *Internatos mulierum non surrexit ma-*
ior Ioanne baptista; Vult dicere, inquit, quòd
anima Ioannis baptistæ est maior omnibus
animabus natis ex muliere, & Christus

cauet se extra (alij legunt Christus caute
se extrahit , vel clarè) & Virginem glorio-
sam occultè , si bene aduertis suum elo-
quium ; quia dixit, *Non surrexit*; quia nul-
lus dicitur leuare , seu surgere , qui non ce-
cidit in aliquo peccato conceptionis , nec
actualis , & similiter B. Virgo: ideo non sunt
in illa regula , quia non ceciderunt modo
iam dicto , ideo non dicuntur surgere , sicut
omnes ceteri homines qui ceciderunt , &
cadunt ab Adam citra , per peccatum ori-
ginale. Idem tomo 4. in ser. 4. de B. Vir-
gine art. 1. cap. 1. Tertia verò sanctificatio
fuit materialis , & hæc remouet culpam
originalem , & confert gratiam , remouet
etiam pronitatem ad peccandum tam ve-
nialiter , quàm mortaliter , & hoc fuit in
B. Virgine Maria Matre Dei. Sanè Deus
ipse æternus sicut mira sua sapientia crea-
uit omnia : sic illam benedictam Matrem
suam talem condidit & sanctificauit in tem-
pore , qualem eam sanctam elegit in sua
æternitate , & talem tam nobilitate naturæ ,
quàm perfectione gratiæ condidit Matrem ,
qualem eam decebat habere suam glorio-
fissimam maiestatem , &c.

S. Thomas à Villanova, Archiepiscopus
Valentinus, Ordinis Eremitarum S. Augu-
stini, serm. 3. de Natiuitate Domini prope
finem. Decuit Matrem Dei esse purissimam
sine labe , sine peccato : unde non solùm
quando puella , sed quando parvula , san-

288 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
etissima, & in utero sanctissima, & in concepcione sanctissima. Non enim decebat sanctuarium Dei, domum sapientiae, reliquarium Spiritus S. vnam manuæ cœlestis, aliquam in se labem habere ; propter quod antequam anima illa sanctissima infunderetur, plenè fuit caro illa mundata ab omni fece & labe , & anima cum infusa est nullam habuit ex carne , neque contraxit labem peccati.



*CONCILIA PRO IMMUNITATE
Conceptionis B. Virginis à peccato
originali.*

s. III.

CONCILIVM Constantino-
politanum, in sexta synodo Con-
stantinopolitana, tom. 3. Conci-
liorum, Act. 8. approbatur Episto-
la Sergij Patriarchæ ; in qua habentur hæc
verba. Ex inuiolabili namque & Virginali
sanguine sanctæ atque immaculatæ Virgi-
nis Mariæ Verbum verè incarnatum est , &
veraciter factū homo. Et Act. 18. in Edicto
Constantini Pogonati , & confessione Fi-
dei. Confitemur deinde vnum sanctæ Tri-
nitatis Dominum Iesum Christum descen-
disse de coelis, & in vulva illibatae Virginis,
Deique

Deique genitricis Mariæ habitasse , & animam & corpus per Spiritum & ex hac sancta & immaculata carne eius in propria subsistentia carnem sumpsisse , nobis substancialē.

Concilium Toletanum , XI. in confessione fidei. De tribus personis solam Filij personam pro liberatione humani generis hominem verum sinè peccato de sancta & immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse , de qua nouo ordine , nouaque natuitate est genitus.

Concilium Basileense fecit Decretum huiusmodi. Nos diligenter inspectis autoritatibus & rationibus, quæ iam pluribus annis in publicis relationibus ex parte vtriusque doctrinæ coram sancta Synodo allegatæ sunt, aliisque plurimis in hac parte visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam, afferentem gloriosam Virginem Mariam præuenienti & operante diuini munera gratia singulari , nunquam actualiter subiecisse originali peccato , sed immunem semper ab originali & actuali ruga , sanctamque & immaculatam semper fuisse, tanquam veram, consonam cultui Ecclesiastico , fidei Catholicæ , rectæque rationi , & sanctæ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam , fore tenendam & amplectendam definimus, & declaramus ; nulli de cætero licitum esse in contrarium prædicare, vel docere. Renouantes præterea

290 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
institutionem de celebranda eius Concep-
tione quæ tam per Romanam , quam vel
alias Ecclesiæ sexto idus Decembris , an-
tiqua & laudabili consuetudine celebratur,
statuimus & ordinamus eandem celebri-
tam præfata die in omnibus Ecclesiis, Mo-
nasteriis , & Conuentibus Christianæ reli-
gionis, sub nomine Conceptionis festiūs
laudibus colendā esse , cunctisque fide-
libus verè penitentibus & confessis , ea die
Missarum solenniis intersentibus centum
dies, primis ac secundis Vesperis totidem,
sermoni verò verbi diuini de ea festiuita-
te quadraginta dies de iniunctis sibi pe-
nitentiis , concessione perpetuis temporib-
us duratura hæc sancta Synodus largitur.
Datum Basileæ in nostra sessione publica, in
Ecclesia maiori Basiliense solenniter cele-
brata , decimo quinto Calendas Octobris
anno à nativitate Domini 1449.

Concilium Francofordiense sub Adria-
no I. Epist. ad Præsules Hispaniæ docet,
quod sicut Adam de terra virgine forma-
tus fuit, Christus formatus est de Virgine
meliori terra , magis immaculata.

Concilium Tridentinum. Huic celeber-
rimæ Synodi, & nouissimæ interfuerunt du-
centi octoginta Episcopi, præter plures Ab-
bates , Generales Ordinum , innumeros
Theologos doctissimos: illius verba non
apponam h̄ic, cùm illa videre possis in prin-
cipio huius libri post Decreta summi Pon-

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 291
tificis Sixti 4. quibus Patres illi noluerunt
immaculatam Virginem comprehendere
in Decreto de peccato Originali; imò in-
nouant Constitutiones prefati Sixti 4.
tam quoad celebrationem festivitatis sub
titulo Conceptionis, quàm quoad pœnas
incurrendas ab ijs qui tanquam hæreti-
cam damnant opinionem remouentem
labem omnem originalem ab anima B.
Virginis.

S U M M I P O N T I F I C E S S T A N T
*pro immaculata Conceptione B.
Virginis.*

§ IV.

BONIFACIUS IX. Constitu-
tion*e* 1. In Nazareth Virgo regia
venustissima à Domino conserua-
ta, flos sanctitatis, vas cœlestis
gratiæ mundissimum, omnium virtutum
floribus redimita, cuius pulchritudinem
sol, & luna mirantur.

Quantùm verò reliqui successores Pon-
tifices summi fuerint immaculatæ Con-
ceptioni Mariæ Matris Dei, accipies ex
Antonio Atreyo Episcopo Carthaginensi, Mi-
norita, in libro legationis Regum Hispa-
niarum Philippi tertij, & quarti, ad Paulum

292 TESTIMONI A SS. PATRVM, &c.
V. & Gregorium X V. de definienda con-
trouersia immaculatæ Conceptionis Beatæ
Virginis Mariæ , sect. 2. Oratione 8. §. 5.
num. II. quæ, cùm non sit liber ille ita ob-
uius omnibus , libenter h̄ic subijcio. Per-
curram, inquit ille, paulisper aliquos à Six-
to 4. cuius tempore maiores vires h̄ec
sumpsit opinio , vt liquidò constet non
extitisse post eam vllum , qui piæ non ad-
hæreret sententiæ. Alexandrum prætero V.
& alios huius opinionis egregios propug-
natores. Ceteros taceo anteriores, sub qui-
bus non tam sollicitè fuit h̄ec agitata con-
trouersia, vnde nec de illa egerunt , aut si
verbum fecerint , nihil , quod illi minus
faueat , è sede , vel in Pontificatu , (vt in-
feriùs ostendemus) aliquando pronuntia-
runt.

Sixti IV. erga hanc sententiam, deuotio-
nem & propensionem satis mensurant tres
illæ Extrauagantes, quas tuæ Beatitudini re-
tuli in Tractatu de sensu festi Conceptio-
nis , in quarum prima omnes Indulgentias,
& peccatorum remissionem concessit ijs, qui
intersunt Officio & Missæ Conceptio-
nis à se institutis, quas maximas sui præde-
cessores Vrbanus 4. Martinus 5. & alij
elargiti sunt ijs, qui adsunt Officiis diui-
nis in festo Corporis Christi. Officium in-
super illud particolare huius festi à Bernar-
dino de Bustis editū, in quo expressè s̄epius
inculcatur Virginis à peccato Originali

præseruatio, approbat. Et tam se deuotum erga hoc mysterium exhibuit, festumque Conceptionis tam solenne esse voluit, ut Dominicæ cuicunque Aduentus locum non cederet, & Octauam superaddiderit, infra quā de nulla alia festiuitate agi liceret. Tot sunt huius erga hanc opinionem fauores, tot suæ in illam propensiōnis indicia, ut non immerito magnus & præcipuus eius promotor censetur à cunctis.

Huic successit Innocentius VIII. quem & Sixti Extraugantes confirmasse ferunt, & sub eo Religionē Sanctimonialium Conceptionis incrementa suscepisse, quarum Constitutiones, sed sub Benedictinorum regula confirmauit.

Innocentio superuenit Alexander VI qui propter suum in hanc opinionem affectum Extraugantem Sixti, Graue nimis, secundam pro vniuersali Ecclesia, non illam particularem pro Longobardis editam confirmauit, inseruitque suis litteris, *Illi⁹ qui se*, incipientibus, cuius executioni iudices applicuit. Religioni insuper Conceptionis sub suis prædecessoribus Sixto & Innocentio incæptæ, summoperè fuit; ita ut sub illo non modicè se dilatauerit per Hispaniæ regiones, in quibus sub eodem etiam Pontifice plurima templa sunt ædificata, & fraternitates institutæ, præcipue in Lusitania, & Ca-

394 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
ta launia in immaculatæ Conceptionis
honorem.

Huius successor Pius III. dum solùm
triginta dies fuderit in pontificatu, suam
exprimere non potuit per externa indicia
deuotionem. At Iulius II. post eum electus
satis suam monstrauit, Regulam Moniali-
bus Conceptionis præscribendo, quam se
confirmasse ait in Genitricis Dei immacu-
latæ Conceptionis venerationem, in qua
etiam rationem assignat cæralei scapularis,
& mantelli, quod eadem portant Monia-
les, cœlestem videlicet & immaculatam in
suo conceptu fuisse Mariam. Proponensque
profitendi normam, hæc verba assignauit;
*Ego soror N. ob amorem & seruitium Domini
noſtri, & immaculatae Conceptionis eiusdem Ge-
nitricis Voueo &c.* Et Cap. 3. ait, animam
B. Virginis sanctam fuisse in primo suæ
conceptionis instanti, rationemque red-
dens quare eas regimini subiecerit Fratrum
Minorum, ait: se idcirco hoc fecisse, quia
prædicti Fratres indefesso studio & vigilan-
tia perpetui extiterint huius Virginei pri-
uilegij defensores. Magnas insuper conces-
sit Indulgentias tam viris, quam foeminis
regni Castellæ, imagines Conceptionis in
pectore gerentibus, quasi deuotionem hanc
in immaculatam B. Mariæ Conceptionem,
non solùm voluerit intus in corde latere,
sed & exterius in pectus prodire.

Post hunc in Pontificem assumptus est

Leo X. qui in hac re suos prædecessores vicit pietate, plurima ædificando templæ in honorem huius mysterij, magnas etiam elargiendo Indulgentias, non solum Fratribus Minoribus, & Monialibus Conceptionis, hoc mysterium & festum tanto præsequentibus affectu; sed etiam aliis Religio-nibus, ut constat ex eius Bulla, *sane religio-nis sinceritas*, in qua Fratribus Benedictinis indulxit facultatem interdictum suspenden-di in festo, & per totam Octauam Conceptionis, quod postea omnibus Hispanæ Ecclesiæ communicavit, ædemque sanctæ Mariæ in Campo sancto à Leone IV. con-structam reædificavit in Conceptionis ho-norem, cui, & aliis quamplurimis Urbis Ecclesiæ, Sanctæ Mariæ de Populo, de Monte, de Ara cœli, Sanctorum Apostolo-rum, S. Francisci trans Tiberim, S. Lau-rentij in Damaso &c. in ipso Conceptionis die Iabilæum concessit, hymnisque insuper approbavit Zachariæ Episcopi Gar-diensis, quos ad ipsius Pontificis iussum in Encomium composuit Conceptionis, & maximas concessit Indulgentias, vtrius-que sexus personis, imaginem Concep-tionis deferentibus.

Leonem sequutus est Adrianus VI. qui Pontifica Bulla incipiente, *Romanus Pon-tifex*, data Tarracone, anno Domini 1522. vltimo die mensis Iulij, & sui Pontificatus anno primo, regiam & grauissimam appro-

296 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
bauit Cofraternitatem Toletanam, in obsequium & laudem Conceptionis immaculatae fundatam. In qua Oeconomus & primus Confrater erat Carolus V. Imperator, cuius deuotionem in Virginem imitati totius regni proceres, se eiusdem sodalitij legibus subiecerant, in quibus multoties profitebantur expressè se omnia illa, & magna quæ exhibebant obsequia, Deo obtulisse in honorem immaculatae Conceptionis suæ Genitricis. Et in Cap. 15. earundem Constitutionum, iubetur celebrari festum S. Annæ, ut (subditur pro ratione) memoria habeatur purissimæ Conceptionis eius Filii, in cuius ventre fuit anima Mariæ creata in maiori gratia, quam Adami vel Euæ: quam Angeli etiam, aut Archangeli, Cherubim aut Seraphim, qui cum natura gratiam acceperunt. Hæc etenim ad maius præ illis ministerium eligebatut & creabatur. Et hanc sodalitatem concessit per omnes Hispaniæ ciuitates fundari, quam per cunctas propagari præcepit prænominatus Imperator.

Adriano extinto in eius locum suffectus est Clemens VII. qui Officium Conceptionis à Francisco Quignonio Cardinale, satis clarè hanc exprimens sententiam approbavit, quod ab illo ysque ad Pium V. à plurimis recitabatur; litteris etiam Pontificiis satis fuit Religioni Monialium Conceptionis, circa quam cuncta confir-

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 297
mauit, quæ sui concesserant prædecessores.

Post Clementem creatus est Paulus III. qui priuilegia etiam omnia illius Religionis confirmavit. Hic indixit Concilium Trident, sub quo facta est illa declaratio Decreti vniuersalis de peccato Originali, sess. 5. adeò fauorabilis piæ sententiæ (ficut superius, & in Opusculo de sensu festi animaduersum est) ut eam liberauerit à magna molestia aduersariorum quotidie obiectantium Virginem comprehendi tam sub vniuersalibus locutionibus sacrae Scripturæ, quam alis aliorum Conciliorum generalibus Decretis. Tantumque tribuit hæc Declarationi huic opinioni, ut præcipuos & grauissimos ex ipsis Dominicanis nutare, & in sua fluctuare sententia coegerit. Vnde & Pontificem hunc non minus suis prædecessoribus, imo cunctis præstantius huic sententiæ fuisse iudicandum est.

Eius successor Iulius III. confirmauit etiam cuncta, quæ circa Religionem Conceptionis sui statuerunt antecessores, approbavitque quicquid Patres Concilij Tridentini sub Paulo III. ordinauerant: vnde & cum illis negauit esse suæ intentionis, Mariam Virginem sub communi regula de peccati Originalis contractione comprehendere.

Medianuit inter hunc, & Paulum IV. Marcellus secundus per solos viginti dies in

Pontificatu sedens ; sed Paulus nihil minus ceteris propensus in hoc mysterium , varias clargitus est per specialia diploma ta Indulgentias , & gratias Sanctimonialibus Conceptionis. Et quoad Declarationem Concilij Tridentini , idem fecit quod eius prædecessor Iulius III.

Sub Pio IV. Pauli IV. immediato successore conclusum est Concilium Tridentinum , quod & confirmauit plenariè , & consequenter Declarationem prædictam , nec sat sibi in hoc fecisse in Virginis obsequium visus est , nisi & plures concederet gratias Religionibus Minorum , & Conceptionis pro eadem celebranda , quas ad alias postea extendit præcipue Hieronymianam , in qua tolli interdictum conces sit in festo Conceptionis.

Pium IV. secutus est V. qui præterquam quod moe suorum prædecessorum gratias & fauores exhibitos prædictis Religionibus , & Sixti IV. litteras stabilierit , in hoc se exhibuit specialem immaculatæ Conceptionis cultorem , quod cum multa in Romano Breuiario reformauerit , & aliquas festorum celebrationes abstulerit ; festum tamen Conceptionis per vniuersam Ecclesiam celebrari præceperit ; Missalique , Breuiario , & Calendario Romanis à se publicatis , & obseruari præceptis inseruerit ; solennitatémque istam , & Conceptionem Virginis Mariæ sanctam & dignissimam in

Ecclesiastico Officio ab omnibus acclamari voluerit. Ita ut virtute præcepti piissimi Pij V. necesse habeant vniuersales fideles Romanum Officium persoluentes sub Conceptionis sanctæ nomine, & professione illud celebrare; Sancto certè Pontifici pia hoc debet opinio: sed & Fratres Minores non parum se ei debere fatentur, quibus proprium & antiquum Conceptionis recitare Officium libenter indulxit, cuius largiorem feci mentionem in alio proximè citato Opusculo.

Huic Gregorius XIII. superuenit, & concessa supradicta indulcta revalidauit, & ut plura ædificantur Monasteria Ordinis Conceptionis tam in Hispaniæ regionibus, quam in Indiarum remotissimis plagis, propriis diplomatis, in quibus non tepidè fideles ad huius mysterij & opinionis devotionem incendit, liberaliter concessit.

Hic successorem habuit Sextum V. qui priuilegia prædictarum Religionum, amplioribus & favorabilieribus clausulis intertextis confirmauit, & Constitutione, *Expositum nobis*, edita anno 1586. omnibus, ac singulis Monialibus prædicti Ordinis Conceptionis, & utriusque sexus fidelibus visitantibus Ecclesias Monasteriorum prædictarum Monialium in festo Conceptionis Mariæ Virginis, Indulgentiam plenariam, & omnium suorum peccatorum re-



300 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
missionem elargitus est in perpetuum.
Multis etiam fauoribus commendauit Con-
fraternitates in Indiis erectas in obsequium
immaculatæ Conceptionis, plurāque alia
tam exhibuit exteris suæ in hanc opinio-
nem deuotionis indicia, quām reliquit do-
mesticis in suis scriptis præclara vestigia.

Post Sextum V. vixit in Pontificatu Ur-
banus VII. dies 13. post hunc Grégorius
XIV. menses decem, in quibus tamen su-
pradicta priuilegia firmauit. Innocentio
IX. huius successore post menses duos vita
functo, successit Clemens VIII. qui sub eis-
dem clausulis litterarum Sixti V. prædi-
ctorum Religionum confirmauit priuilegia:
& Bulla data Ferrariæ, anno 1598. prohi-
buit ne aliud Compendium Doctrinæ
Christianæ præter illud, quod Illusterrissi-
mus Cardinalis Bellarminus edidit, & ipse
Clemens approbauit, per totam Italiam ha-
beretur in usu, nec alio vteretur Reli-
gioſi Congregationis Doctrinæ Christianæ
ad erudiendos & instruendos in eadem
puerulos. In qua tamen, ad illa verba Salu-
tationis Angelicæ, *Gratia plena*, (vt iam
alias tuæ Beatitudini proposui) expressè
docetur Virginem nullum habuisse pecca-
tum actuale, aut originale, ita hanc am-
plexus est opinionem deuotus Pontifex,
vt eam à primis rudimentis doceri volue-
rit vniuersos Christi fideles.

In sedem post Clementem assumptus

est Leo XI. qui viginti septem diebus in ea
sedit. Huius, immo Petri, tu Pater vndequa-
que Beatissime (vtinam & faxit Deus ut in
multos & felicissimos annos) Cathedram
tenes, in qua licet supra memoratos Pon-
tificos tempore sequeris, eos deuotione &
fauore in hanc opinionem longè præcedis:
præclara etenim & magna sunt tuæ in eam
propensionis indicia. Quid non egisti ?
quid aliquando omisisti, vt tuum in hanc
Virginis prærogatiuam affectum demon-
strares? Iam in alio Tractatu proximè cita-
to, ea tibi in mentem reuocaui. Statuam
crexisti, alia exstruxisti in honorem imma-
culatæ Conceptionis. In Religione Minorum,
aliisque sibi subiectis voluisti quo-
libet Sabbatho, alia festiuitate non præpe-
dito, memoriam fieri tanti mysterij, pro-
prium Officium recitando, & Missam ce-
lebrando, in quibus expressè hæc Virginis
docetur excellentia. Fideles omnes inuita-
sti ad hoc ipsum confitendum, concessis In-
dulgentiis iis qui Antiphonam, Oratio-
nemque eiusdem Officij recitauerint. Con-
firmasti tuis litteris, grauissimis superaddi-
tis pœnis, Sixtinæ Constitutiones huic
parti maximè fauorabiles. Nec his conten-
tus taceri aliam iussisti, & è scholis, & sug-
gestis tanquam minimè proficuam profili-
gasti. Hactenùs P. R. Anthonius regum His-
paniarum Orator.

Defuncto Paulo V. Cathedram D. Pe-

302 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c,
tri obtinuit Gregorius XV. qui, vt constat
ex illius Constitutione in principio huius
libelli apposita , adeò parti neganti in
Deipara Maria labem originalem adhæsit,
vt innouatis quibuscumque prædecesso-
rum decretis, etiam sub grauissimis pœnis
ne liceret inter priuata colloquia affirma-
tiuam defendere, inhibuerit.

Præfatæ narrationi adiungi debent duo
summi Pontifices Pius V. & Gregorius
XIII. qui Articulos Michaëlis Baij, Docto-
ris Louaniensis damnarunt , velut hæreti-
cos, erroneos, suspectos, temerarios, scan-
dalosos , impios , & piarum aurium offen-
siuos. Inter quos sexagesimus nonus erat:
Nemo præter Christum est absque peccato
Originali , hinc B. Virgo mortua est pro-
pter peccatum ex Adam contractum, om-
nésque eius afflictiones in hac vita , sicut
& aliorum iustorum fuerunt vltiones , vel
peccati actualis , vel originalis.

Possunt etiam præcedentibus addi quæ
refert Ioannes Bachonis Carmelita, perue-
tusq; Autor, relat⁹ ad testimonium An-
selmi supra in fine articuli 3. illius dis. in.
3. de celebritate festi Conceptionis. Item,
inquit , publica & diuturna consuetudine
celebratum est hoc festum, e iam cum ve-
nerabili Congregatione Dominorum Car-
dinalium, cum solenni Missa , & sermone
singulis annis in domo Fratrum Ordinis
B. Mariæ de Carmelo : Et hæc durauerunt

tempore multorum Romanorum Pontificum usque in praesens tempus. Et constat quod tanquam diuturnam & notoriam solennizationem ipsius in Curia presentibus seruatam bene notauerunt Domini nostri summi Pontifices, & sedes Apostolica, & per consequens haec est sancta & Catholica religio, ut patet 24. quæst. 1.c. in sede, ubi sic dicit Eusebius Papa; *In sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio,* &c.



*VNIVERSITATES OMNES PERPETVAM
virginis innocentiam à primo instanti
sue Conceptionis constanter
profitentur.*

§. V.

ID perspicuum reddit experientia, & testantur quicumque Autores qui hac de materia scripserunt. Si quidem imprimis celeberrima Parisiensis Academia cum statuisse communi omnium Doctorum calculo, anno secundum aliquos 1330. secundum alios, 1388. imposterum non aliud professuram: & nonnulli statim illud Decretum contempserint, aliud editit anno 1396. decretum, quo nullus imposterum Lauram magistralem in illa Aca-

304 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
demia, siue Doctoris gradum, aut Licentia-
ti consequeretur, nisi prius iure iurando
se adstringeret priuatim & publicè imma-
culatam Conceptionem professuram, quod
ab eo tempore inuiolabiliter est obserua-
tum, Christianissimis Regibus in Deipa-
ram semper bene affectis, peculiaribus edi-
tis præfatum decretum approbantibus.

Hanc posteà Parisiensem Academiam,
secuta est Coloniensis in Germania, de-
cernens nullum ad dictos gradus magisterij
admittendum, quin prius votum emitte-
ret, iuraréque affirmatiuæ opinioni nun-
quam adhæsurum.

Quibusdam annis postmodùm elapsis
vtramque Vniuersitas Moguntina est ini-
tata, referente Laurentio Surio, Commen-
tario rerum in orbe gestarum ad annum
1501. his verbis. Eodem anno facultas
Theologica Academiæ Moguntinæ, imitata
synodi Basileensis decretum, itemque Pari-
sienses, & Colonienses Theologos, omni-
no decreuit & statuit sentiendum B. Dei
Genitricem, sempérque Virginem Ma-
riam, quam ex omni æternitate sibi Ma-
trem delegit Filius Dei, sinè labe origina-
lis peccati conceptam, idque singulari
quodam priuilegio: & allatis rationibus
quæ ad id mouerant dictam Academiam
subiungit: His ergo, atque aliis rationibus
permota facultas Theologica Moguntinæ
Vniuersitatis grauiter fanciuit, deinceps
neminem

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 305
neminem in ea Academia promoueri de-
bere in sacra Theologia , nisi iuramento
interposito priùs fidem dederit se diuersam
opinionem, neque animo retenturum , ne-
que quoquis modo approbaturum.

Reliquæ omnes totius orbis Academiæ
Catholicæ in Germania , Italia , Gallia,
Hispania, Neapolitana, Salamantina , Co-
nimbricensis, Vallisoletana, Complutensis,
Barcinonensis , Panormitana , Valentina,
Granatensis , Hispalensis , Oxonensis ad
eandem puritatem B. Virginis pro omni
vitæ momento defendendam vel votum
emiserunt, vel certè idem profitentur, suís-
que auditoribus scholasticis tradunt ; adeò
vt à ducentis saltē annis nullus reperia-
tur qui contrarium docuerit.

Nouissimè accepi Academiæ Tolosanæ
(quæ nulli alteri in doctrina, religione , &
morum probitate cedit) omnium faculta-
tum professores peculiari decreto statuisse,
nullum imposterum ad gradus , aut regen-
tias admissuros, quin priùs iuramento se
adstrinxerit, sanctissimæ Deiparæ Virginis
Mariæ Conceptionis à macula originali
pro omni temporis momento immunita-
tem pro viribus , semper , & vbique pro-
pugnaturum , nec parti affirmatiæ con-
trariæ vlo modo adhæsurum.



*INNVMERI AVTORES GRAVES PRO
certo habent diuam Virginem à peccato
originali præseruatam.*

S. VI.

TERTVLLIANVS lib. de carne Christi, cap. 17. Virgo erat adhuc terra nondum opere compressa, nondum sementi subacta, ex ea hominem factum accipimus in animam viuam. Ergo si primus Adam de virgine terra traditur, meritò nouissimus Adam proinde de terra noua prolatuſ.

Origenes Adamantius, homilia prima in Matthæum, ad illa verba ; *Cum esset desponsata Mater Iesu* : Mater immaculata, inquit, Mater incorrupta, mater intacta. & paulò post ; Huius itaque Vnigeniti Dei dicitur hæc Mater Virgo Maria, digna digni, & immaculata sancti, una vnius, unicavnici. Et alibi sæpe eam nominat Dei genitricem plenissimam sanctitatem, Regis cœlestis sponsi domum immaculatam.

Proclus Constantinopolitanus, homil. de nativitate Domini nostri Iesu Christi. Hæc impollutus & purus ille illibatae Virginitatis thesaurus, decusque & ornamen-

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 307
tum : hæc spiritualis secundi Adami Para-
disus : hæc verè leuis illa nubes quæ super
Cherubim sedentem in corpore suo ge-
stauit : hæc vellus mundissimum cœlesti
pluuiā madens.

Euthymius, oratione in adoratione zonæ
B. Virginis, cap. 8. Maria est altior & su-
perior quavis re creata , estque pura &
immaculata , ab omni reprehensione alie-
na , & pulcherrima sponsa.

Iuo Carnotensis, Ser. de Natiuitate Do-
mini: Quomodo carnem Matris suæ sancti-
ficauerit deinceps audiamus , vt inde læ-
tetur Catholicus , inuidus confutetur hæ-
reticus : omnem quippe nauum tam ori-
ginalis , quām actualis culpæ in ea deleuit
(præseruando intellige , non auferendo)
sicut & actualē deleuit , hoc est præserua-
uit , sique carnem de carne sua sumens
eandem in diuinam munditiam transfor-
mauit.

Petrus Blesensis, Archidiaconus Batho-
nensis, ser. 44. De massa carnis humanæ,
quasi de quadam vniuersitate frugum in
modum decimæ primitiæ , Mariæ caro
exempta , & sanctissima est , & de illa san-
ctissima carne adhuc dignior quædam por-
tiuncula electa est , quam sibi assumeret
Verbum Dei.

Petrus Apollinaris , de natuuitate Virgi-
nis carmine ita canit.

Salve Virgo Paren̄s, labes quā nulla vetusti,

*Per tot ducta gradus carminis implicitum.
Te dum conciperis culpa quicumque negarit*

Immunem, brutis nil sapit ille magis.

Huic aut Vipereo mens est infecta veneno,

Aut illum teter spiritus exagitat.

Gabriel Biel, ser. 1. de Conceptione B. Virginis : De hac veritate olim variè senserunt Doctores, sed aliter nunc opinari non licet, nec docere, postquam super hoc Ecclesiæ determinatio manauit, facta in Concilio Basileensi, ses. 36. quam determinationem vidi sub plumbo more Romanæ Curiæ, licet nonnulli usque hodie non desinant oblatrare.

Anonymus quidam Poëta apud Bernardinum de Bustis, Ordinis Minorum, 1. parte, ser. 9. de Conceptione B. Mariæ.

Falluntur nimium qui te contagia diri

Declinare hostis Virgo nequissime volunt.

Vrentes potuit pueris qui extinguere flamas

Conceptum potuit purificare tuum.

Si decuit luctus sine labe effingere Matrem,

Matrem lætitiae plus decorare decet.

Si debent nati proprios coluisse parentes,

Debuit & ventrem sic coluisse Deus.

Immunem sponsam voluit si crimine leui,

sic illi voluit maius abesse nefas.

Desine turba fremes præconia Virginis alma

Turbare: & verbis impia pone modum.

Nicolaus de Cusa, Cardinalis, Excitationum lib. 5. & serm. *Cælum & terra transibunt*, folio 86. col. 2. edit. Paris. Ascensij. Virgo gloria fæcunda cum esset prædestinata ante secula, ut ex ipsa reciperet Dei filius naturam humanam, ut fieret filius hominis: ita concepta est, ut dignum ad hoc habitaculum fieret. Induere se debuit Deus humanitate Mariæ: quare humana natura Virginis digna facta est ab initio. Nam etsi ipsa concepta fuit ex virili semine, via propagationis ab Adam, & quantum ad suum initium indiguit liberatore: quia in Adam nisi liberarentur, aut preseruerentur omnes moriuntur, ut in Christo, omnes qui vivificantur; tamen sicut anima eius rationalis nullo tempore fuit, antequam esset corpori unita; ita ipsa dum crearetur, sancta creata fuit, sic etiam quod nulla duratione fuit verum dicere, Virginem fuisse sub peccato; secundum enim instans naturæ, ipsa ex Adam non fuit, ut omnes, indigentes gratia, quam assequuntur quando possunt: sed non possunt nisi prius sint capaces, hoc est post infusionem animæ, quæ sola est capax gratiæ. Gratia igitur adfuit ei in creatione, quando ipsa fuit capax eius, ita ordine naturæ non prius fuit, ut omnes ex Adam: sed assecuta est prius omnibus, gratiam. Nam Iohannes Baptista, & Ieremias sanctificati in utero, citius sanctificari potuerunt; Virgo autem, non.

310 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
Vnde in nullo instanti aut naturæ, aut temporis, quod sequitur instans naturæ post vñionem animæ & corporis, fuit sub peccato. Idem Cardinalis lib. 8. & ser. *sicut lilyum inter spinas*, sic ait : Hoc cedit ad laudem Dei & Virginis Mariae matris: quòd ipsa sub principatu autoris mortis, nullo vñquam tempore fuit, in qua vita debuit incarnari. Non indiguit Virgo liberatore, qui ipsam absolueret à sententia in Adam, & posteros eius ex voluptate carnis lata, cui nunquam subiacuit, quia præuenit succurrere misericordia electæ Matri misericordiæ, qui concipitur, & nascitur liber: Nec indiget liberatore à seruitute in qua nunquam fuit. Præliberatorem enim Virgo sancta habuit, cæteri liberatorem & postliberatorem. Christus enim sic omnium liberator, quòd & Virginis liberator & præliberator: cæterorum vero liberator & postliberator, ipsa sola post Adæ lapsum non indiga, sed plena originali iustitia ut Eua, & multò magis creata fuit; sicut & Christus secundùm humanitatis naturam in omni plenitudine iustitiæ multò magis quam Adam creatus, sola ipsa electissima Mater habuit quod in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequiauit; puta quòd in creatione rationalis animæ in corpore, & separatione à corpore, in potestate maligni nunquam fuit. Sola igitur gloriofissima Virgo non reperitur ullo tempore pec-

cato originali subiacuisse.

Ioannes Gersonius Cancellarius Parisiensis, 2. parte sermonum, ser. de Conceptione B. Virginis, inducit Deum item intentatam inter octo vetulas furibundas, affirmantes B. Virginem peccatum originale contraxisse: & octo puellas viatrices verecundas & pulchras id ipsum constanter negantes, dirimentem, in fauorem harum, & immaculatae Conceptionis B. Virginis. Vetulæ illæ octo sunt, littera occidens in vultu iam rugata: Ratio litigiosa rixis comitata: Species sophistica fallaciis armata: superficies Canonum penitus inflata: Apparentia legis: falsa Matthesis ex gestis diffamata: falsa Poësis apparenter adornata: suspicio hæretica, tremens, antiquata. Quælibet ex his argumentis desumptis ex legibus vniuersalibus, omnes homines comprehendentibus conatur suum intentum persuadere. Verum prædictis vetulis animosè sese opponunt octo speciosæ & sapientes puellæ, nempe vera Theologia in vultu gratiosa: Ratio probabilis in gestu amorosa: patens Authoritas grata velut rosa: Lex Canonica in habitu formosa: Lex Civilis tota imperiosa: Vera Matthesis apud multos pretiosa: dulcis Poësis super fauum dulcorosa: & Fides pia, firma, & radiosa. Vnaquæque enim ex his, efficacissimis meditis oppositum obtinere contendit. Solùm legem Canonicam, & ciui-

1312 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.

Iem hic loquentem audi. Lex ergo Canonicā protestatur, quamplura decreta suæ causæ fauere. Primo, quia ratione peccati quod mulier induxit, non conceditur pro alio postulare 15. qu. 3. Sed Mariæ hoc conceditur ex officio Mediatricis: ergo abstrahitur ab illa ratione peccati. Secundo, qui lege priuata ducitur, nulla existit ratio ut lege publica restringatur: in capite, duæ sunt, 19. quæst. 2. Sed Maria à principio sui, lege priuata ducta est. ergo, &c. Tertio, si aliqui recipiuntur in proprios, & speciales subiectos, censentur exempti: in capite, si Papa, de priuile. lib. 6. Sed Maria fuit sic recepta in propriam & specialem Matrem Filij Dei à principio sui; ergo, &c. Quartò, Cùm sint iura obscura partium, reo fauendum est potius quàm actori, extra, de regulis iuris, in Sexto: sed hæc iura partium sunt obscura, ergo Mariæ fauendum est. Lex etiam Ciuilis quæ est 5. Virgo, plures producit leges 1. Quoniam Augustus est legibus solutus, priuilegiata Augusta, l. princeps. ff. de leg. & sen. Sed sumimus Augustus fuit solutus à lege concupiscentiæ, ergo priuilegiata Augusta. Item, In obscura voluntate manumittentis fauendum est libertati, de reg. iur. ff. ergo à fortiori, in obscura ratione ingenuitatis fauendum est libertati. Sed hæc est obscura ratio ingenitatis Mariæ in principio sui, ergo, &c. Et rex ait sufficit. Vetulis autem

adhuc glorianibus de obiectis contra immunitatem Conceptionis à peccato; respondent puellæ, & demonstrant in illis octodecim notari insignes defectus, ut quòd non distinguant inter vniuersale simpliciter & vniuersale accommodum; inter exemptum de iure, & exemptum de privilegio; inter redemptionem eleuantem & redemptionem præseruantem, inter legem specialem & legem communem; inter pœnam tractam vel infictam ex pœna, vel ex causa, &c. Quibus expositis coram iudice, sententiam tulit B. Virginis Conceptionem omnino immaculatam fuisse, ipsiusque festum celebrandum, adeò ut is ne queat dici verus amator Virginis qui illud respuit colere. Vide etiam carmen eiusdem de diuersa immunitate à peccato, Christi & Matris suæ, 3.p. fol. 315.

Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, pluribus in locis suorum Operum hanc immunitatem ab originali peccato profittetur: in prologum D. Hieronymi ad Bibliorum Codices cap. 6. In Exodus cap. 34. qu. 8. & Numeros qu. 29. Item paradoxo primo cap. 21. & 102. tom. 12. vbi acri satis stylo agit contra duos præcipue Ordines religiosos, quos existimat non tam indagandæ veritatis studio, quam animo pertinaci, vni, aut alteri parti affirmanti, aut neganti adhærere. Consultit tamen tanquam tutius in re nondum ab Ecclesia determina-

314 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
ta fateri Dominam nostram ab omni labo
originali fuisse immunem, quām eandem
asserere illo peccato pollutam; siquidem
fuit vas, inquit, Domina nostra omnis pu-
ritatis & munditiæ nullis feculentæ conta-
gionis mortalis, venialis, aut originalis
accessibus maculatum.

Illustriss. Cardinalis Cæsar Baronius ad
œstauā diem Decembris Martyrologij Rom.
plura tradit scitu digna pro celebratione fe-
sti Conceptionis Virginis Mariæ.

Henricus Spondanus, Apamiarum Epis-
copus tom. 2. Continuationis Annaliū Ba-
ronij, acta Parisiis & Rothomagi in fauore il-
libatæ Cōceptionis anno 1387. persequitur.

Gregorius Bartoldus Pontianus, Eccle-
siæ Metropolitanæ Pragensis Præpositus,
& Officialis in sua Bibliotheca Concio-
num, Concione prima de Conceptione B.
Virginis pag. 45. quam pluribus argumen-
tis probat immunitatem Conceptionis à
peccato Originali.

Ab Ægidio Lusitano lib. 3. de præser-
uatione B.V. referuntur sequentes Docto-
res. Maior, in 2. dist. 30. quæst. 4. & in 3.
dist. 3. qu. 2. art. 3. Almainus qu. 1. & lib. de
potestate Ecclesiæ, cap. r6. Petrus de A-
quila qu. 1. Guillelmus de Rubione qu. 1.
art. 2. concl. 5. Michaël de Palatio in 3.
dist. 3. disp. 1. Et in declaratione de Con-
ceptione Virginis, & proœmio 2. in Isaiam.
Marsilius in 2. qu. 20. & in 3. dist. 3. qu.

4. art. 1. con. 1. Aluarus Pisanus Canonicus, in proprio hac de re Tractatu.

Antonius Cusanus in suo Elucidario de Conceptione Virginis. Blosius in Tractatu de vitis Patrum. Lipomanus in Catena cap. 15. lib. Genesis. Ioannes Driedo lib. 1. de gratia, & libero arbitrio, cap. 1. 1. p. fol. 94. pag. 1. & in 2. p. fol. 95. pag. 2. & 3. cap. 6. fol. 105. pag. 2. & in lib. 2. eiusdem Operis 2. p. cap. 2. fol. 563. pag. 2. & lib. 3. de regulis sacræ Scripturæ, tractatu 2. cap. 4. 1. p. sent. 6. fol. 127. Insignis Didacus de Payua, Lusitanorum & Conimbrigensium decus lib. 5. defensionis Tridentinæ Fidei, & in 2. p. sermonum, ser. 1. de Conceptione Virginis. Guillelmus Budæus lib. 3. de transitu Hellenismi ad Christianitatem, cap. 15. Hieronymus Vida in hymno ad Matrem Virginem, Alexander Pesantius in 1. 2. quæst. 81. a. 1. dist. 4. Iacobus Schopperus presbyter, concione. 6. edit. Colon. 1570.

His addi debent adhuc qui sequuntur doctissimi Scriptores pro immaculata Conceptione B. Virginis. Ioannes Alphonsus Curiel in Salmantica Academia professor primarius Theologiæ in 1. 2. quæst. 81. art. 3. part. 2. Ludouicus Montesinus primarius Professor Theologiæ in Complutensi Academia, ibidem disp. 11. Cornedus Scultingius in sua Bibliotheca Ecclesiastica to. 2. part. 1. hymnali de festo Conceptionis

316 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
plura affert. Ratilius Benzonius, Episcopus
Lauretanus, *Commen.* in Canticum Mag-
nificat, & Salutationem Angelicam ad ver-
ba illa præsertim, *Benedicta tu in mulieribus.*
Alphonsus Viegas Doctor Hispanus in suo
Flore Sanctorum, ad diem 8. Decembris. Io-
docus Coccius in Thesauro Catholico , to.
1. lib. 3. art. 1. & 6. Philippus Gamma-
chæus, Doctor Sorbonicus, & Professor re-
gius Theologiæ in 3. p. q. 27. de sanctifi-
catione B. Virginis. Michaël Gillerius ex
Clericis Regularibus S. Salvatoris , in illa
verba capitilis 1. Cantici Canticorum, versu
6. *Nolite me considerare quod fuscum sim.* Nico-
laus Ysambert, Doctor Sorbonicus, & Pro-
fessor regius in 3. p. q. 27. disp. vniqa. Ra-
phael Auersa, Prepositus Generalis Clerico-
rum Regularium Minorum, in 1. 2. qu. 81.
fest. 4. Augustinus Barbosa , de Officio &
potestate Episcopi, part. 3. allegat. 5. num.
109. & in Concilium Tridentinum sess. 5.
num. 10. Petrus Besse Doctor , tom. 2. de
Sanctis , ser. de Conceptione B. Virginis.
Andræas Valadier Doctor, in Aduentu, die
sabbathi 1. ipsius. Steph. Molinerius Do-
ctor Tolosanus, tom. 1. de Sanctis, serm. de
Conceptione.



AU TO RE S EX ORDINE FRATRVM
sancti Benedicti, pro illibata B.
Virginis Conceptione.

§. VII.

PRÆTER enumeratos in paragrapo Sanctorum Autorū, Ruper-
tus, Tuitiensis cœnobij Abbas, Ope-
re suo in Cantica, Deiparæ Virginis
inuiolatam Conceptionem contutatur, lib.
4. namque ait, *Vterus tuus nulli viro, nulli*
carnali commercio accessibilis, & mens tua
nulli vitio, nulli spirituali nequitia umquam
fuit penetrabilis: & lib. 6. non semel vocat
eandem Virginem inter ancillas solam ab
omni iugo peccati liberam.

Ioannes de Tritenhem, siue Trithemius,
Abbas Spanhemensis, scripsit Commenta-
rium, (vt ipse refert in Chronico sui mona-
sterij) de Laudibus sanctæ Annæ, matris
Beatiss. Dei genitricis, & in eo Conceptionē
purissimam eiusdem pro viribus defendit.

Petrus Crespetius Celestinus, Pari-
sensis Doctor, in sua Summa Catholica fi-
dei, verbo, *Mariæ Conceptio*, sequentium
Doctorum mentionem facit.

Claudius, inquit, Rapinas Celestinus

318 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
versu elegantissimo Virginis Conceptio-
nem celebrat.

Dionysius Fabri, Celestinus, egregium
Opus edidit in laudem Virginis conceptus,
versibus heroicis.

Antonius Pocquetus Celestinus vir in
Scripturis sanctis exercitatissimus.

Petrus Bardus Celestinus, vir integer-
rimus, & conuersatione deuotissimus.

His adde ipsummet Petrum Crespe-
tium defensorem immaculatae Conceptio-
nis.

Et Arnoldum Vvion Belgam, in suo Li-
gno vitae, 2. p. lib. 5. cap. 103. vbi à quo
sumpserit initium celebritas festi Concep-
tionis B. Virginis tradit,



*EX ORDINE S. BRVNONIS, SIVE
Carthusianorum, pro immaculata Con-
ceptione Deiparae Virginis.*

s. VIII.

SIoannes de Teneramunda, Prior domus Silliuiaci in Sabaudia, hac de materia rectè scripsit.

Dionysius à Rikel, dictus Carthusianus in 3. sent. dist. 3. vide verba illius supra p. 198. §. Non præteribo: Nec non in peculiari Traetatu de laudibus B. Virginis, & in sex Concionibus admodum eruditis pro immaculata eiusdem Concepcione.

Fridericus Nausea relatus suprà, ad locum Salomonis, *sicut lilyum inter spinas*, cuius rationes ad hanc veritatem confirmandam, vide apud Petrum Canisium lib. 1.ca. 7. paulò ante finem.

Henricus de Hafia iunior, scripsit librum contra disceptationes, & disputationes quorundam Conceptioni immaculatæ detrahentium.


Ioannes de Lapide, natione Teutonicus, composuit Tractatum aduersus sermones Meffet de Conceptione immaculatæ Virginis, apud Trithemium.

Laurentius Surius Commentario breui rerum in orbe gestarum , relato antea, vbi de Vniuersitatibus ; postquam hanc puritatem eruditè probauit , concludit his verbis: *Qui ergo extra Chriftianæ modestia cancellos non vult temere efferrī , & tum sibi , tum aliis male consulere , acquiescat in Ecclesiæ sententia , & Matris Dei singulari priuilegio nihil deroget , ne , dum Matri iniurius est , præpotentis Filiij eius iram intolerabilem in suas accersat cervices.*

Henricus Arnoldi , Saxo , Decretorum Doctor , & Concilij Basileensis scriba , & Notarius, refertur à Schultingio , cuius scripta non vidi.

Ioannes Iustus Lanspergius , tom. 3. con cione 2. super festum Conceptionis B. Virginis sequentia habet notatu dignissimā. Quintò sentiendum est , firmiterque tenendum B. Virginem Mariam conce ptam esse sinē originali peccato : sanctus namque Ioannes Baptista , S. Hieremias concepti quidem sunt in originali peccato , sed in vtero antē sunt purgati , seu sanctificati , quām nati. Quare B. Dei Matrem singulari atque maiori priuilegio decuit sanctitatis ac puritatis illustrari ; non ut purgaretur ab originali peccato , sed quæ , ne contraheret illud , præseruaretur. Dix erat enim Dominus de Beatissima hac Vir gine , diabolo; Inimicitias ponam inter te & mulierem , & inter semen tuum & semen illius,

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 321
illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insi-
diaberis, &c. Quomodo beatissima hæc Vir-
go contriuisset caput serpentis huius, si
vel ad momentum serpenti, hoc est diabo-
lo, per originale peccatum subiacuisse?
Absit, absit, vt beatissimam Dei Matrem
vel ad momentum filiam dicamus aliquan-
do fuisse diaboli, filiāmque iræ. Quomodo
enim dici posset in Matrem Dei ab æterno
electa, si aliquando diaboli fuisse ancilla?



EX ORDINE FRATRVM SANCTI
Bernardi Scriptores, pro immaculata
Conceptione B. Virginis
Mariae.

§. IX.

PETRVS de Lorca Exgeneralis,
& primarius Cathedraticus Cathe-
dræ Scoti in Academia Complu-
tensi in 3. partem, qu. 2. art. 11. disp.
22. num. 25. docet, Deum prius voluisse B.
Virginem in Matrem filij eligere, quām pre-
seruare à peccato originali, aut alia illi do-
na conferre, adeò vt ideo Deus illi contu-
lerit tot gratias & priuilegia, quia erat fu-
tura Mater Dei; & non è contra, ideo fuit
Mater, quia habuit tantam gratiam.

Eustachius à sancto Paulo, Doctor Sor-

322 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
bonicus in 2. p. suæ Summæ, tractatu 2. de
Christi vita, & morte, disp. 1. qu. 1. propos.
2. tuetur B. Virginem ab originali fuisse
præseruatam.

Petrus à sancto Iosepho dum agit de
peccatis, lib. 2, cap. 7. resolut. 4. ait Bea-
tissimam Virginem Dei genitricem à pec-
cato Originali fuisse præseruatam, quod
fusè & acutè probat.

Laurentius Samora, Doctor Hispanus, in
suo Mariali tribus concionibus, quas sym-
bola appellat, subtiliter & eleganter suo
idiomate Hispanico Conceptionē Dei Ma-
tris immaculatam extollit.

Franciscus Biuarius Doctor, lib. qui in-
scribitur, Sancti Patres vindicati à vulgari
sententia, quæ illis in controuersia de im-
maculata Virginis Conceptione imputari
solet, vindicat strenuè illam immunita-
rem.





EX ORDINE FRATRVM PRÆDICATORUM Scriptores, pro immaculata Conceptione.

S. X.

IMPRIMIS referunt graues Recentiores, ex quadam Epistola, quæ ponitur post Tractatum Vincentij Iustiniani *huius instituti*, repertum fuisse librum Toleti, anno 1614. ex ruina parietis in monasterio sancti Dominici regij, qui dicitur, *Manuale Fratrum Prædicatorum*, in quo inter alia hæc leguntur verba: Quia Ordo Prædicatorum solitus est Sanctorum doctrinæ adhærere, sustinuit huc usque opinionem, quod B. Virgo fuit concepta in originali: sed iam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius utilitatis, & valde scandalosa: præsertim cum tota fere Ecclesia, cuius usus & autoritas, secundum B. Thomam præualet dicto Hieronymi, & cuiuscumque alterius Doctoris, iam asserat quod fuit præseruata.

Hugo de sancto Caro, Barcinonensis, sanctæ Sabinæ Cardinalis, in Caput 1. Luce, ita Virginem salutat: *Ave sine ve tristitia, corruptionis, grauitatis, & doloris quod incurrit Eva per peccatum, quodque ab ea om-*

324 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
*nec mulieres præter Mariam, quasi iure here-
ditario contraxerunt.*

Ambrosius Catharinus iam præfata Dis-
putatione ad Tridentinum Concilium, &
priùs Opusculo pro immaculata Concep-
tione in lucem emissio Romæ anno 1551.
& Commentario in Epistolam ad Roma-
nos cap. 5. indefessus propugnator Con-
ceptionis B. Virginis immaculatæ.

Heruæus Natalis, Generalis Ordinis, mu-
tata sententiâ, quam in 3. distin. 3. tenuer-
at aduersus Conceptionem immaculatam,
exponens Epistolam 2. ad Corinthios, cap.
2. excepit à morte peccati actualis & ori-
ginalis B. Virginem.

Sanctius de Porta, lib. de Laudibus Vir-
ginis, ser. ultimo pronunciato in Palatio
sacro, coram summo Pontifice, multis con-
firmat Virginem exceptam fuisse à regula
generali contrahendi originalem maculam,
& præuentam gratia Dei.

Vincentius Beluacensis in suo Speculo
Historiali, lib. 7. cap. 121. eandem doctri-
nam sequitur.

Ioannes Viguerius, in suis Instit. Theo-
logic. cap. 18. parag. 5. idem tenet.

Sicut & Frater Vincentius Iustinianus, in
additionibus ad historiam sancti Ludouici
Bertrani, typis mandatis Valentia 1593. &
Tract. de immaculata Conceptione Virgi-
nis excuso anno 1515.

Stephanus Mendes tom. 1. de excellen-

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 325
tiis B. Virginis, lib. 3. præsertim cap. 33. &
sequentibus.

Leonardus de Utino in suo Sanctorali.

Guillelmus Pipinus, ser. de Conceptio-
ne satis fusè propugnat eandem senten-
tiam.

Ignatius de Contingno, Lusitanus, in
Promptuario spirituali solennitatum Vir-
ginis Mariæ, serm. unico de Conceptione,
consideratione sexta.

Laurentius Guttierres, Professor Vespe-
rarius in Academia Complutensi, concio-
ne declamata coram Philippo III. Rege
Hispaniæ, Matriti anno 1618. amplissimè
eandem immunitatem B. Virginis propu-
gnauit: atque, ut omnibus constaret sin-
cera id se fecisse mente, dictæ concioni in
lucem editæ, Epistolam ad præfatum Re-
gem præfixit, ostendens contra obtructato-
res, mutatā sententiā, sex rationib[us] indu-
ctum fuisse ad illibatæ Conceptionis B.
Virginis doctrinam amplectendam ex ani-
mo, profitendamque, & imposterum do-
cendam. Rationes verò illas deprompsit ex
Christi singulari autoritate: ex sincera ob-
seruantia in ipsius Matrem: ex sanctorum
Patrum Decisionibus: ex deuotione fide-
lium vniuersali: ex locorum & autoritatum
sanctorum Patrum probabilitate: denique
ex maxima conuenientia & decentia.



EX ORDINE FRATRVM

Minorum.

§. XI.

PRÆCIPVVS & strenuus defensor immaculatæ Conceptionis fuit Ioannes Duns, Scotus, in 3. dist. 3. quæst. 1. vbi firmissimis fundamentis statuit b. Virginem à peccati originalis labe fuisse præseruatam, Dei gratia peculiari; quæ quia fere omnibus peruvia sunt, hic omittam. Expressè etiam dist. 18. eiusdem libri, quæst. vnica, §. hoc viso, fere in fine, vbi habet hæc verba: *Est ibi b. Virgo etiam Mater Dei, qua nunquam fuit inimica ratione peccati actualis, nec originalis, fuisse tamen nisi præseruata fuisset.*

Ante Scotum præceptor illius Guillelmus Varro docuerat eandem Virginis immitatem à peccato, in 3. similiter dist. 3. in quorum doctrinam iurarunt ab eo tempore omnes Franciscani.

Antonius Andræas Scotti discipulus. Petrus de Verberia, dictus Aureolus, Cardinalis fusi simè. Fráscus Lichetus Generalis Ordinis. Franciscus Ouandus, Melchior Flauus, Fráscus Mayronius. Latè Ioánes Oaádus. Franciscus de Pitigianis, Guillelmus bur-

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 327
rillon, Richardus de Mediauilla, Landul-
phus Neapolitanus, Tartaretus, hi omnes
in 3. sent. distinct. 3. quæst. 1. aut 2. in fa-
uorem immaculatæ Conceptionis doctè
scripsere; quemadmodum Alexander Alen-
sis, qui etsi ibidem quæst. 9. contra purita-
tem Conceptionis opinatus fuisset, poste à
vehementi morbo correptus, precibúsque
B. Virginis sanitatem recuperatā Tractatum
composuit in illa verba; *Tota pulchra es ami-
ca mea*, ita acriter defendens innocentiam
Virginis, ut imposterum nihil frequentius
in ore habuerit, quām inuocando Mariam
iisdem verbis: *Maria Domina mea, tota pul-
chra es*, & formosa, & macula originalis
& actualis nunquam fuit in te.

Antonius Cordubensis lib. 1. quæstionar.
quæst. 44. concl. 6.

Alphonsus à Castro libro de iusta hære-
ticorum punitione, cap. 8. Nicolaus de
Nusse resol. theol. tract. 4. part. 1.

Ioannes Medina lib. de Oratione, quæst.
17. & de penit. qu. 6.

Andræas de Vega, lib. 2. in Tridentinum,
cap. 6. in fine.

Bernardinus de Bustis in Mariali, nouē
Sermonibus doctis & deuotis de Conce-
ptione Mariæ, post quos est & Officium pro
festiuitate, & octaua ipsius diei Conceptio-
nis à Sixto IV. approbatum.

Nicolaus Lyranus in cap. 1. Lucæ.

328 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
Henricus Harphius in tractatu de Mystica Theologia.

Stella in Lucam cap. 11. ad illa verba ;
Beatus venter.

Ioannes Capistranus tractatu per pulchro de perpetua innocentia B. Virginis.

Discipulus, in suis sermonibus, serm. 5. de Sanctis, parte 1.

Ludouicus Caruajal in celebri exclamatione, edita Parisiis 1541.

Liber inscriptus, *Dormi securè*, serm. 5. de Sanctis, parte 2.

Mauritius Hilaretus, homilia 30. Adventus.

Antonius à Trejo, Episcopus Carthaginensis Confiliarius regius, in libro suæ legationis concinnatæ per F. Vvaddingum Hibernum, & ex parte Regum Hispaniæ ad summos Pontifices Paulum V. & Gregorium XV. Orator.

Petrus Galatinus lib. 7. cap. 5. de Arcanis Catholicæ veritatis, ubi refert Mahometem dixisse, quod nullus nascitur de filiis Adam, quem non tangat Sathan quando nascitur, praeter Mariam, & filium eius. Sunt & alij huius Ordinis apud Ferdinandum Salazar, quos non potui videre. Ultimum locum hic occupabit Ioannes de Carthagena, qui more concionatorio in laudem immaculatæ Conceptionis tomo Homiliarū Theologicarū de sacris Arcanis, nouemdecim homiliis; & in §. ultimo illarū

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 329
ex iure Canonico & ciuili eandem verita-
tem perdoctè probat.



EX ORDINE FRATRVM SANCTAE
Mariae de Monte Carmelo.

S. XII.

IOANNES bacconius, Anglus na-
tione, Carmelitanæ sodalitatis orna-
mentum, qui iam à trecentis annis
viuebat, in 4. dist. 2. & 3. perdoctè
propugnat b. Virginis Conceptionem non
solum ab actuali culpa originali, sed etiam
speciali priuilegio à necessitate illam con-
trahendi, quatenus videlicet illa necessitas
fuit in momento Conceptionis extincta:
licet alibi, nempe in 3. dist. 30. attendens ad
ius commune, oppositum docuisset. Suam
propositionem confirmat nouem argumen-
tis optimis, ex scriptura, sacris canonibus,
& D. Anselmo depromptis. Probat etiam
idem Doctor eadem distinct. Festum Con-
ceptionis celebrandum, prout in superio-
ribus ex eodem retulimus.

Ioannes Chrysostomus Marasca iurat in
verba Ioannis Bacconij, cuius proinde Ope-
ra in quatuor sententiarum libros, & Quot-
libeta, in lucem iterum à pluribus mendis
ab ipso vendicata, argumentis dilucidata,

336 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
conciliationibus, & quinque indicibus lo-
cupletata & aucta edi curauit Cremonæ
anno 1618.

Hosbertus peruetustus Autor Pycken-
ham Anglicus, Generalis Ordinis, de Dei-
paræ immunitate à peccato originali Tra-
ctatum confecit.

Franciscus Martini libros eruditè scripsit
septem, pro tuenda puritate eiusdem Vir-
ginis, de quo Chronicon valde antiquum:
Franciscus Martini Theologorum orna-
mentum singularissimum, sui temporis
Iucerna, in honorem glorioſæ ſui Carme-
litici Ordinis Patronæ, libros de ſancta Con-
ceptione immaculatæ Dei genitricis Ma-
riæ conſcribit, cunctis Virginis zelatoribus
gratiſſimos.

Christophorus Silueſtranus Cōmentariis in
3. ſent. diſt. 2. docte propugnat diuam
Virginem ab omni labe in Conceptione.

Philippus Kersbon ſcripsit contra vesa-
niam Vincentij de Nouocastro, ſive Ban-
delli aduersus puriſſimam Conceptionem
B. Mariæ latrantis.

Baptista Mantuanus lib. I. Parthen. poſt-
quām vtramque ſententiam in hac materia
eleganti verſu proposuit; priorem, negan-
tem labem originalem amplectitur, his
verbis:

Sed prior (ut nobis aequum ſentire videtur)
Dignior eſt, & grata magis Nato, atque Pa-
renti.

Nam legi assurgens Mariae decus addit,
opusque

Materna dignum attribuit pietate donanti.
Adde quod multis fert adiumenta, fi-
demeque

Roborat infirmam; nam nec venisse sub
aluum

Sorde laborantem tali sublimia cœli
Numina nonnulli ingenio præstante puta-
runt:

Relligio maior, pietas animosior, istam
Consummata fides, legumque peritia fecit.
Altera verborum textū, & fastigia tantum
Summa videns, abstrusa Dei mysteria nescit.
Quod si fiderei tanti splendoris honore
Fulget, ut aeterno qui temperat ordine mundū
Gestauit gremio, lastauerit vbere, dulci
Strinxerit amplexu, summoque vocarit o-
lympo,

Quare illam in nostras opus est detrudere
sordes,
Et turpi infestare luto?

Baptista Lezana in suo Apologetico, pro immaculata Deiparæ Conceptione.

Bernardus de Bustis annumerat inter Scriptores huius Ordinis de hac materia.

Baptistam de Ferraria, cuius scripta ad meas manus non peruererunt.

Michaëlem de Bononia, siue Autorem In-
cognitum.

Petrum Thomam, Tract. de Conceptione
B. Virginis.

332 TESTIMONIA SS. PATRVM , &c.

Christophoras Auendaigne in suo Mariali Opere , & tomo de Aduentu Christi concionibus , in festo Conceptionis B. Mariæ Virginis.

Petrus Corneio publicus Salmanticensis Academiæ Cathedrarius, to. 2. in 3. partem quæst. 27. disp. 2. dub. 6. acutè, ut solet alias Theologiæ materias, resoluit Deiparam nunquam peccato originali fœdatam fuisse, & argumēta in contrariū facta dissoluit.

Loasia in primo tractatu Cōceptionis, punto 2. allegatur ab Ægidio de Præsentatione.

EX ORDINE FRATRVM EREMITARUM sancti Augustini.

s. XIII.

B Thomas à Villa-noua, Archiepiscopus Valentinus, præter locum allatum supra inter sanctos ser. 1. de Assumpt. B. Virginis, comparat B. Virginem Castello, cuius mentio fit in Euangeliō, in quod intravit Christus; Quod castellum, inquit, fortius, quod firmius, quod pulchrius quam Virgo sacratissima, eius animam sic Deus gratia firmauit, ut neque dicto, nec facto, nec cogitatu à Deo vñquam declinauerit? O quam fortissima turris anima illa sacratissima, quam nullis fraudibus, nullis impulsibus dæmon valuit expugnare: imò nec illam interius ausus est impugnare: huius enim castelli nunquam vel vnam pinnam dæmon potuit ob-

tinere. Castrum non solum invincibile, sed etiam inexpugnabile. *Et infra.* Nihil enim usquam alicui Sanctorum speciali priuilegio concessum est, quod non à principio vitæ accumulatiū præfulgeat in Maria. Ecce Castellum fortissimum, ecce Turrim inexpugnabilem, quæ nunquam diabolo præstitit tributum, aut fidem.

Thomas Argentinensis, quondam Generalis totius Ordinis, Commentariis in 3. sentent. dist. 3. q. 1. a. 1. etsi Aegidij Romani doctrinæ vnicè addictus, immaculatam tamen Cōceptionē contra Aegidium, aliósque sui téporis Classicos Doctores adstruit.

Hermannus de Schellis eodem seculo præclarum de Conceptione immaculata B. Virginis Tractatum in lucem edidit.

Paulus Venetus, tractatu de Conceptione Deiparæ, improbat, & falsitatis arguit sententiam affirmantem, vitiatam fuisse conceptionem illam peccato originali, tanquam piarum aurium offensiuam; unde concludit veritati consonum esse credere B. Virginis benedictam animam infusam esse carni mundæ, & non infectæ.

Hieronymus Seripandus, qui postea fuit Cardinalis, & in Concilio Tridentino sub Pio IV. Legatus, in libro concionum in symbolum Apostolorum, ac versum illum;

Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, eam expressè ab illis verbis Ps. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, afferit exceptam.

Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus, pluribus in locis, sed præcipue in Psal. 13. In illa verba: *sepulchrum patens est, &c.* circa medium. Est verum, inquit, quod nullus Sanctorum potuit vivere originale peccatum, quod anima contrahit per consortium ex carne corrupta, à qua regula fuit excepta B. Virgo, ut Augustinus ait, vbi supra. Et fusè in Canticum B. Virginis ad illa verba, *Quia fecit mihi magna qui potens est &c.* In 2. dignitate concessa Beatae Virgini, vbi conclusione 2. in tertia eius probatione hæc habet verba. Tertiò autem hoc idem fuit decens ex parte nostrî, ad remouendum omne scandalum, tam à fidelibus, quam infidelibus. Nam magnum scandalum infert, & generat in animo, & auribus audientium dicere Matrem Dei aliquando fuisse in odio, & ira Dei, & in servitute, & captiuitate diaboli. Vnde anno Domini 1322. præsidente Ioanne 22. in sede Apostolica, venit quidam Soldani filius Armeniæ, Græcâ & Latinâ linguâ eruditus ad nostras partes Latinas, cùms saluo cōductu, ad videndum mores, & ritus Christianorum, & fuit receptus Auenioni in Curia Papæ cum magno honore, qui quotidie intererat solennitatibus diuinorum Officiorum, in quibus maximè delestabatur. Et accidit in die Conceptionis Virginis Mariæ, quod quidam ascendit ad prædicandum: in qua prædicatione voluit probare per quasdam

autoritates sacræ Scripturæ, Virginem Mariam contraxisse culpam originalem. Quibus verbis auditis, in tantum fuit scandalizatus ille Filius Regis Armeniæ, quod surrexit à loco, & cum magno furore dixit Papæ, & Cardinalibus, quod mirabatur de ipsis qui erant capita Christianæ religionis, ut talia tolerarent audire de B. Virgine Maria: Vnde etiam dixit, quod si quis dixisset in conspectu Califæ, aut Soldani Ægypti, aut in conspectu aliorum Saracenorum, nullo pacto potuisset euadere, quin ab omnibus lapidaretur, quantumcumque ille esset magnus: Imò si quis talia dixisset de Matre Mahometi nullo pacto euaderet mortem; & sic ille taliter scandalizatus reuersus est in regionem suam, qui ante deliberauerat baptismum suscipere.

Ambrosius Coriolanus, Generalis quondam sui Ordinis, Orationem de Conceptione B. Virginis habitam coram Sixto Pontifice maximo posteritatis memorie commendauit.

Petrus à Vega in Discursibus in septem Psalmos Penitentiales, versum illum Psalmi 5. explicans: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum &c.* pluribus locis ex Scriptura sacra desumptis suadet Deum B. Virginem exceptisse à communi illa lege propagandorum hominum ab Adam.

Augustinus à Trinitate, Lusitanus, cuius profundam doctrinam Tolosana & Burdi-

336 TESTIMONIA SS. PATRVM , &c,
galensis Academiæ admiratæ sunt, abhinc
septuaginta annis peculiari Tractatu Con-
ceptionē B. Virginis immaculatam comen-
dauit.

Petrus Valderama in suo Mariali , totis
quinque doctis concionibus de immacula-
ta Conceptione B. Virginis differuit.

Franciscus à Christo , in Academia Co-
nimbricensi Cathedraticus Vesperarius , in
3. dist. 3.q.1. lib.de Incarnatione q. 1. ean-
dem immunitatem asseruit.

Augustinus Antolinés peculiari Tractatu
docuit, quod B.V. in instanti suæ Cōceptionis
viderit diuinam essentiam ; de quo ita lo-
quitur Ferdinandus Salazar Societatis Iesu,
in sua defensione pro immaculata Deiparæ
Virginis Conceptione, cap. 32. argumento
1. Postquam ex variis præfatam proposi-
tionem probauit, præsertim ex eo quod
Hieronymus de Florentia insignis eiusdem
Societatis concionator coram Rege Hispa-
niæ & proceribus hac de re sermonem ha-
buisset, & præfatam assertionem de visione
diuinæ essentiæ respectu B. V. in instanti
suæ conceptionis euulgasset ; Huic, inquit,
annumerare fas est , doctissimum atque or-
natissimum virum Magistrum Antolinés, in
Academia Salmanticensi primariae Cathedræ
moderatorem , & inter primos huius seculi
Theologos verè primarium , qui cum eun-
dem Hieronymum è suggestu præfatam af-
fitionem fundētem accepisset, prolocutus

est: gaudere se plurimum, ac gestire, quia viderat eum foetum à nostro Hieronymo in lucem editum, quem iam dudum ipse conceperat, & parturiebat, proximè iam sāq; parere parabat. Fuit deinde in Archiepiscopum Compostellanum assumptus datus Antolinés.

Ioannes Puteanus in Academia Tolosana Professor regius, & sacræ facultatis Decanus emeritus in 3. partem q. 26. & 27. dubit. 2. vbi dilucide explicat modum, quo B. Virgo contraxit debitum peccandi in Adam, non autem in se, & propria persona.

Ludouicus de Montoia, Lusitanus, legendō vbiique, & prædicando constanter defendit B. Virginis immaculatam Conceptionem in quampluribus Sermonibus hac de re habitis, qui propter sanctitatem viri, & eruditionem asseruantur MS. in Bibliotheca Collegij de gratia, cuius ipse fuit fundator.

Petrus Muranus, Siculus, serm. 8. in adventu Domini eleganter suadet illibatam B. Virginis Mariæ Conceptionem.

Basilius Legionensis, primarius professor in Academia Salmanticensi, variarum disputationum 1. part. relectione de peccato Originali, vbi doctè & eleganter disputat, qua ratione peccatum Originale nobis nondum natis fuerit voluntarium, & quomodo ab eo B. Virgo exempta: & in tribus peculiaribus concionibus Salmanticæ habitijs & excusis, annis 1616. & 1618.

Iacobus Ioannes, Doctor Sorbonicus, in Thesauro priuilegiorum B. Virginis, cap. 3. vbi demonstrat illam statim post Christum fuisse prædestinatam.

Fortunatus Sacchius, Apostolici palatij præfctus, libro concionum peculiari, & eleganti, in Festo Conceptionis B. Virginis habitarum.

Franciscus, de Leon, concionator insignis, sermone singulari habitu Salmanticæ in die conceptionis B. Virginis anno 1618. & ibidem typis mandato.

Amatus Besson, Doctor Sorbonicus, & Ecclesiastes Collegiatæ Ecclesiæ sancti Capitis, libro de Triumpho Patriarchæ Ioseph, & ser. in festo Conceptionis exponens illa verba : *Tota pulchra es amica mea.*

Aurelius Corbellinus, lib. de Festiuitatibus Sanctorum, elegantem habet concionem de festo Conceptionis.

Theodorus Vualleus, Professor eloquentiæ in Collegio Insulensi, in suo Oratione Mariano, Panegyrico i. de immaculata Concepcione Deiparæ Virginis.

Ludouicus de Aceuedo in suo Mariali, discursu de Conceptione Beatæ Virginis pag. 453. & in discursu solitudinis, pag. 460.


Antonius de Lacalanca, Doctor in Academia Limensi apud Peruanos, in perdocta & eleganti Epistola dedicatoria ad B. Virginem de gratia, pro suo Chronico rerum

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 339
memorabilium per pulchrè de immaculata
Conceptione loquitur.

Ægidius de Præsentatione, Lusitanus, &
in Conimbricensi Academia sacræ Theolo-
giæ primarius emeritus, anno 1617. To-
tum magnum edidit, quatuor libris distri-
butum, de immaculata B. Virginis Conce-
ptione, vbi rem hanc & fusè, & doctè, &
dilucidè, si quis hactenus alius, discutit,
& resoluit, totis quatuor libis, Deiparam
Virginem vindicans à labe initialis pecca-
ti. Ex quibus solum hoc miraculum ab ipso
relatum, apponam. Dicit ergo lib. 3. de
præseruatione B. Virginis à peccato Origi-
nali 6. q. art. ultimo, §. 2. Hoc loco vnum
referam, quod anno præterito Hispali, non
sincè omnium admiratione contigit, & ego
typis excusum vidi: nam mulier quædam
audiens cantilenas in laudem Conceptionis
B. Virginis à pueris publicè decantari,
ducta zelo huius mysterij filio infanti qua-
tuordecim mensium vix adhuc verba pro-
menti, quem vbera fugentem habebat, præ-
cepit, ut in laudem Conceptionis immacu-
latæ B. Virginis eandem cantilenam decan-
taret: quod infans fecit, cantilenam distin-
ctè proferens, & altè decantans. Quo mi-
raculo omnes vrbis incolæ excitati, in pu-
blicas B. Virginis laudes proruperunt, puri-
tatem Conceptionis eius deuotiùs decan-
tantes. Eodem libro, quæst. 7. art. 1. §. 3.
præmisso catalogo multorum, qui imma-

340 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
culatam Conceptionem rationibus proba-
runt; Ex omnibus inquit, rationibus,
quas præcitat Doctores latè adducunt,
vnam proferemus, ad quam fere omnes
facilè reduci possunt. Ea autem sumitur ex
naturali decentia, seu conuenientia, quæ
dictat, ut filius omni, quo poterit, honore
parentes afficiat: tum quia filius est, &
subinde subiectus naturali præcepto de pa-
rentibus honorandis: tum etiam, quia glo-
ria & nobilitas parentum in gloriam filio-
rum cedit, iuxta illud, prouerb. 17. *Gloria*
filiorum parentes eorum: Vnde si is, qui fu-
turus est filius, posset non solum sibi pa-
rentes eligere, sed etiam eos, quo vellet
honore, & excellentia nobilitare; naturali
ratione obligaretur, ut quos sibi in paren-
tes eligeret, eos omni, quo posset, honore
afficeret. Quare cum Filius Dei, homines
ab æterno ita dilexerit, ut ad redimendos
eos à iugo peccati voluerit fieri filius ho-
minis; & Mariam in Matrem sibi elegenter,
eo ipso quod ab æterno voluit, & decreuit
fieri filius eius, ipso suo decreto se ipsum
subiecit naturalibus decentiæ legibus: et
enim ex Augustino lib. 3. de liber. arbitr. c.
5. quicquid tibi vera ratione melius occur-
rerit, id scias fecisse Deum. Quare cum Ver-
bum diuinum B. Virginem ab æterno sibi
elegenter in matrem, suo seipsum decreto
obligauit, ut illi concederet omnia nobili-
tatis, & excellentiæ priuilegia quæ Matrem

Dei decent, quæ neque cum sacris litteris pugnant, nec cum traditione Ecclesiæ, nec denique cum dignitate Filij, quatenus est omnium Redemptor. Quæ Theologia verissima est in priuilegiis & excellentiis, quæ ad puritatem sanctitatis pertinent; nam cùm Filius Dei se fecerit Filium B. Virginis, vt sua Incarnatione ab impuritate peccati homines liberaret, & eos infusa gratiâ sanctificaret, decuit vt matrem specialibus sanctitatis priuilegijs sibi simillimam redderet, & Angelis puriorem. Quare cùm inter omnes, etiam aduersarios, constet immunitatem à peccato Originali inter sanctitatis & puritatis excellentias, quæ naturæ humanæ ab Adamo propagatae conferri possunt, esse supremam; & proinde debitam Matri Dei, si illa nec sacræ Scripturæ repugnet, nec traditioni Ecclesiæ, nec dignitati Filij Redemptoris; vtique maximè fuit decens, vt Filius Dei eam concederet B. Virgini, quam in Matrem elegit. Quod si decens fuit, & rationi consonum; vtique Filius Dei hanc sanctitatis excellentiam & nobilitatem absque dubio suæ Matri concessit, iuxta doctrinam Augustini superius positam. Quod verò hæc immunitas fuerit possibilis, indubitatum est etiam apud aduersarios, &c.



*EX ORDINE FF. SANCTISSIMÆ
Trinitatis, redemptionis Captiuorum.*

§. XIV.

ROBERTVS, siue Rupertus Guaginus, huius Ordinis quondam Generalis Minister, Conceptionem Mariæ immaculatam celebrauit disertè, soluta oratione, & carmine. Quædam etiam habet de eadem materia lib. historiæ 6, de rebus Francorum, in Carolo IX. Item contra Vincen tium de Nouo Castro, siue Bandellum de eadem Conceptione scripsit, referente Schultingio

Ferdinandus Gomes, Minister Conuentus Salmanticensis, præclaro sermone recitato, & typis mandato Salmanticæ 1618. laudat B. Virginis innocentiam pro quo cumque momento.

Hortensius Felix Paravicinus, Prouincialis, tomo Orationum Euangelicarum, quatuor celebres habet conciones, in laudem immaculatæ Conceptionis Dei genitricis Mariæ.

Manuel Bies, Hurtado Professor Cathedraticus in Salmanticensi Vniuersitate, duas etiam habuit conciones valde doctas, & in lucem editas Salmanticæ anno 1618.



*EXORDINE FF. B. MARIAE DE
Mercede, redemptionis Captiuorum.*

§. XV.

PETRVS de Onia, Episcopus Caetanus, in Amphitheatro vitæ & mortis à 2. p. usque ad 7. quampluribus eruditis admodum discursibus ex variis Scripturæ sacræ locis, figuris, autoritatibus sanctorum Patrum, Conciliorum, & rationum similitudinibus pulchris, purissimam B. Virginis Conceptiōnem probat, suadētque.

Alonsius Remon, eiusdem Ordinis, in proprio Tractatu, de B. Virginis Conceptione, quamplura scitu digna habet.

Franciscus Cumelius quondam Generālis, in Salmanticēsi Academia Professor publicus celeberrimus, eiusdēmque Decanus, tom. 1. ad 1.2. quæst. 81. art. 4. dab. vnico ad 3. argum. principale, in 2. solutiōne argumenti Ferrariensis, pag. 551. col. 1. §. existimo.

*AVTORES EX RELIGIONE SOCIETATIS
Iesu, in fauorem illibatae Conceptionis
B. Virginis.*

§. XVI.

Sequentes recensentur ab Ægidio de Præsentatione, Operis superius allegati lib. 3. de præseruatione B. Virginis &c. quæst. 1. art. vnico, §. 2. Franciscus Suarius, 2. to. ad 3. p. disp. 3. sect. 5. Gabriel Vasques Bellomontanus 2. to. ad 3. p. disp. 117.

Ioannes Salas tomo ad 1. 2. quæst. 81. tract. 3. disp. 11. sect. 5. nu. 68.

Gregorius de Valentia in lib. de controvërsiis fidei, tract. de peccato Originali, c. 3. pag. 785. & in 2. to. ad D. Thomam. disp. 6. qu. 11. punct. 2. pag. 627. & 628. & latius 4. to. disp. 2. qu. 1. punct. 2. pag. 402.

Henricus Henriques, lib. 2. de Missa, cap. 7. in Glossa, lit. S. & in tractatu de fine hominis, cap. 10. litt. B. & in tex. & in gl.

Ioannes Azorius lib. 4. Instit. Moralium, cap. 34, quæst. 3. pag. 436. Petrus de Morales, in lib. de Christo Domino, & Virgine Deipara lib. 3. tr. 1. conclus. 2. p. 278. col. 2.

Martinus Delrio, in Florido Mariano, in festo Conceptionis Virginis, & libro 4. Disquisit. Magic. c. 1. q. 3. sect. 4. Iosephus à Costa de Christo reuelato, cap. 1. nu. 17. Ioannes Pineda, in Aduertentiis ad XII. priuilegium Ioannis primi Regis Aragoniæ;

PRO IMM. CONCEPT. B. M. V. 345
& in tract. de Conceptione Virginis,

Robertus Bellarminus Cardinalis. li. 4. de
amissione gratiæ & statu peccati c. 15. 16. &
7. Theodorus Peltranus, in disceptatione
de peccato originali. Petrus Canisius lib. 1.
de Maria Deipara cap. 6. 7. 8. 9. & 10, & in
Catechismo in appendice ca. 2. de peccato
Adæ in omnes transmissio litt. B.

Franciscus Turrianus in epist. de peccato
originali & de Conceptione Virginis.

Cornelius à Lapide ad Romanos 5. &
illa verba, *In quo omnes peccauerunt*, num.
293. pag. 86. col. 1.

Ioannes Maldonatus Matthæi, 9.

Franciscus Toletus Cardinalis, Ioan. cap.
3. annot. 3. & Lucæ cap. 1. annot. 119.

Sebastianus Barradas lib. 6. Concordia
cap. 6. pag. 475. col. 1. & 2.

Alphonfus Salmeron tom. 3. tract. 12. in
Canticum Mariæ, pag. 110, & 111, latissimè
to. 3. lib. 2. disput. in Paulum tract. 49. pag.
457. & tract. 50. pag. 462. & tract. 51. pag.
457. & tandem tract. 52. pag. 475.

Ioannes Ferdinandus in Thesauro sacræ
Scripturæ, verbo, *Calcanus*. nu. 1.

Benedictus Pererius in Danielem, cap. 4.
ad illa verba, *Germen radicum*.

Ioannes Lorinus in Psal. 95. ad verba,
Honor regis iudicium diligit.

Benedictus Iustinianus 1. ad Tim. cap. 2.
ad illa verba, *Qui dedit redemptionem*, & ad
Hebræos 2. ad illud, *Quid est homo?*

Magalitanus 1. ad Timoht. 2. sect. 8. an-
notatione 6. Petrus Morales in cap. 1. Math.
lib. 3. tract. 1. de Præseruatione Mariæ , &
alibi passim. Citat idem Ægidius Petram
Ojeda in libello, cui titulus est ; Informa-
tio Eclesiaſtica de pura Virginis Concep-
tione.

Præter hos Ferdinandus Salazar in fine
seculi 16. refert B. Ignatium , & quosdam
alios primarios Societatis Autores , nec-
non Christoph. de Castro, de vita Deiparae
cap. 2. num. 5. Ioannem Bonifacium in ea-
dem vita. Petrum de Ribadeneira in Flore
Sanctorum 8. Decembris. Car. Mangu-
tium in Mon. Mar. mon. 2. Franciscum
Costerum, medit. 1. de Conceptione Virgi-
nis, Vincentium Brunum, tom. 4. medit. 1.
Ioannem Oſorium in festo Conceptionis,
Francisc. Labara, in Apparatu, verbo, Maria,
propos. 3. Iulium Mazarini in Psalm. 50.
disp. 96. Ludouic. à Ponte, tom. 1. part. 2.
medit. 3. punto 4.

Adhuc prædictis merito annumerari de-
bent qui sequuntur. Illustriss. Ioannes de
Lugo, Cardinalis, tomo disp. scholastic. de
Incarnatione Dominica, disp. 7. sect. 4. vbi,
relato, & reiecto modo explicandi Ferdi-
nandi Salazar , quomodo stare possit do-
ctrina communis Theologorum, cum D.
Thoma, non venturum scilicet Christum si
primus parens non peccasset, cum illa qua
negat in Virgine Deipara proximum debi-

tum contrahendi peccatum originale , nu.
37. ita exponit ipse. Supposita sententia, in-
quit , communī de decreto Incarnationis
post peccatum absolute praeuisum, rem sic
explico, & ordino signa decretorum. Prius
creat Deus primū hominem, quem con-
stituit caput morale in ordine ad transfu-
sionem, vel amissionem gratiæ , exceptā ta-
men iam tunc eā, quam sibi Deus ad ma-
trem eligeret , quæcumque illa esset , si ali-
quam eligeret , non determinando pro eo
signo, quam eligeret , imò nec an esset ma-
trem eleēturus. Postea vedit peccatum, de-
creuit Christum redemptorem in remedium
hominum, & denique ex Christi meritis ele-
git Mariam in eius matrem ; quæ quidem eo
ipso , quod fuerit eleēta , intelligitur non
peccasse in Adamo; cùm in ipso pacto cen-
featur excepta , quæcumque eligatur in
Christi matrem. Ceterū sicut habuit ex
Christi meritis eligi in eius Matrem ; ita ha-
buit ex iisdem meritis , quod non fuerit in-
clusa in priori pacto : quantumuis enim in
pacto fuerit exclusa Mater Christi, si tamen
Maria ad hoc munus non assumeretur ex
Christi meritis, verè Maria maneret inclusa
in pacto , sicut alij posteri Adæ , licet sem-
per maneret exclusa , quæ fuisset Mater
Christi. Habuit ergo Maria ex Christi meri-
tis utrumque , scilicet eligi ipsam in Ma-
trem, & eo ipso exclusam fuisse à communi
pacto posteriorum.

Explicatur hoc exemplo morali. Pone, Principem Petro concedere facultatem condendi nouam vrbem : rursus constituerre ipsum Petrum caput morale eorum omnium, qui aliquando incolæ futuri sunt illius ciuitatis; addito hoc pacto, si Petrus fidelitatem erga Principem debitam obseruauerit, censeantur fideles omnes incolæ futuri, & idcirco nobiles, & exempti à tributis : si Petrus infidelis fuerit, ipse & alij incolæ nobilitate careant, tributarij sint, excepto tamen eo, quicumque vnquam fuerit Prætor ciuitatis; hunc enim propter muneric dignitatem noluit Princeps includi in eo pacto, sed nobilitatem retinere. Petrus postea infidelitate erga Principem, nobilitatem perdit sibi, & incolis omnibus futuris illius ciuitatis. Princeps ex peculari affectu, & ex precibus Pauli Ioannem, qui valetudinis causa eam vrbem petere & colere iubeatur, designat Prætorem illius vrbis ; tunc sane verissimè dices, precibus Pauli Ioannem fuisse exclusum à priori pacto, & liberatum non solum ab ignobilitate, sed à debito proximo eam incurriendi, quia licet antecedenter ad Pauli preces Prætores fuerint exclusi à pacto, & non peccauerint in Petro ; sed tamen adhuc si Ioannes non fuisset Pauli precibus designatus Prætor, inclusus fuisset in pacto, & deberet nobilitate carere. Sic ergo de Virgine cogitari potest, habuisse debitum radicale

contrahendi originalem maculam ; quia pactum generale fuit pro omnibus posteris, exceptâ Christi Matre; ubi iam hæc mulier Maria includebatur, nisi in Matrem Christi, eligeretur ; ergo si posteà Christi meritis elititur in eius Matrem , redimitur ex iisdem meritis à debito proximo contrahendi maculam, seu, quod idem est , ab inclusione in priori pacto generali , ubi iam ineuitabiliter tenebatur , nisi per electionem in Matrem Christi excluderetur.

Ferdinandus Quirinus de Salazar, tomo defensionis pro immaculata Deiparæ Conceptione.

Didacus Baëza, tomo 1. de Christo figurato lib. 1. part. 2. sect. in illud Genesis, *Tulit ergo Deus hominem & posuit illum in paradyso voluptatis.*


Franciscus Poiré, de triplici Corona Virginis, tract. 1. cap. 8. §. 1.

Antonius de Scobar & Mendoza, in quatuor Euangelia Sanctorum, lib. 4. de immaculata Virginis Conceptione, ad caput 1. Matthæi.

Celada in Iudith , de Iudith figurata cap. 8. §. 2. & cap. 13. §. 20. 21. & 31. Item in Caput 13. Tobiæ §. 431. nu. 1. 2. 3.

Martinus Perés.

Valentinus Geuart in triumpho Virginis part. 8. discursu. 2.



OMNES VBIQUE TERRARVM FIDELES
Ecclesiastici & Laici, cuiuscumque conditio-
nis & dignitatis, paucissimis exceptis, purif-
simæ Marianæ Conceptioni vnanimi con-
sensu, singularique affectu deuotionem ob-
quiūque exhibent.

S. XVII.

HO C nullus inficiabitur nisi
mente & sensu carens, cùm ea
veritas per experientiam cuili-
bet innotescat tam clare, &
evidenter, quām solem in meridie lucis suæ
radios diffundere; cuius rei certum, indu-
bitatumque indiciū est, quòd quotiescum-
que aliquis oppositum propalare, aut pro-
pugnare tentauit, statim commoti sunt in-
colæ omnium Ciuitatum & Regnum,
propter maximum quod ingenerat in om-
nibus scandalum: sicut videre licet in li-
bro legationis Regum Hispaniæ ad summos
Pontifices Paulum V. & Gregorium XV.
oratione II. tract. I. 2. §. I. his verbis.

Ab hoc S. vsque ad S. 9. vera &
fidi narratione recensebantur potiora,
& notoria scandala, quæ ex affirmatiuæ sen-
tentiaæ assertione oriebantur, & obseruatâ
temporis Chronologiâ ostendebatur fuisse

continua in præcipuis Europæ regionibus. Omnia referebantur ex probatis Autoribus, ex notissimis archiuis & tabulariis, ex authenticis processibus publica autoritate confectis; ita ut nequaquam potuerit negari perpetua, & continua fuisse scandala, quantumcumque ea sopire laborauerint Pontifices suis Constitutionibus, Reges suis edictis, Academiæ, & Prælati Ecclesiastici variis decretis. Qui tumultus & scandala in Gallia exorta sub §. 2. relata, scire voluerit, consulat Iacobum Christopolitanum in Canticum Magnificat, ad illa verba; *Quia fecit mihi magna.* Et Ambrosium Catharinum lib. 2. de Concept. persuas. 19. & quid circa annum Domini 1322. acciderit Auenioni percipiet. Quid Lutetiarum Parisiorum ad ann. Domin. 1380. euenerit, habetur in excerptis principalium articulorum Ioannis de Montesono, quæ circumferuntur in fine librorum Sententiarum Magistri Petri Lombardi Parisiis excusorum an. Dom. 1558. Cuius etiam mentionem faciunt Gersonius, Epist. ad studentes Collegij Nauarræ, tom. i. & Guaguinus lib. 9. de gest. Franc. à fol. 189. qui hoc ipsum repetit, aliisque adiungit in Epist. dedicat. sui Tractatus aduersus Bandellum ad Collegium vel Academiam Theologorum Parisiensium.

Ad ann. Dom. 1389. Dum Prælati Ecclesiastici, & Iudices seculares compescere

non potuerint tumultus Galliæ , quām se-
uerum interposuerit decretum contra af-
fertores affirmatiæ sententiæ , Rex Caro-
lus quintus , refert Thomas Valsinghamus ,
monachus Benedictinus , circa eundem an-
num in sua historia Anglicana .

Circa ann. Dom. 1497 . quas turbas sopia-
rit Dieppæ , Rhotomagi , & Parisiis facultas
Theologica , latâ in Ioannem Veri sententiâ ,
refert verbatim ex authentico processu An-
tonius Corduben . in suis Quæstionibus
Theologicis , q. 44 . § . Nouerint vniuersi : &
summatim Ægidius de Piæsentatione lib. 3 .
de præseruatione Virginis qu. 6 . art. 4 . § . 2 .
nu. 4 .

Multa etiam sui temporis scandala insi-
nuat Ioannes Maior in c. i . Lucæ , & in 3 . di .
3 . qu. i . nec aliquando cessarunt , donec per
omnes Galliæ regiones præualuit , & sola
inualuit pia de immaculata Conceptione
opinio .

Scandala Italiæ , quæ referebantur § . 3 .
mouerunt Sextum IV . vt publicam indice-
ret in Vrbe disputationem , & vnam ac alte-
ram ederet Extrauagantem . Turbuleritos
motus Ciuitatis Ferrarensis sub eodem
Pontifice , vel ipse Vincentius Bandellus
refert in Epistola dedicatoria sui libri , de
singulari puritate & prærogativa Concep-
tionis Saluatoris nostri Iesu Christi , ad
excellentissimum Ducem Herculem Esten-
sem , eiusdē ciuitatis & dominij Principem ,
circa

circa quod tempus commotæ sunt & aliæ ciuitates Lombardicæ. Alias deinde turbas excitatas in prædicta ciuitate Ferrariæ ad annum 1512. refert Petrus Rodulphus lib. 2. suæ historiæ Seraphicæ, & Franciscus à Sosa, Episcopus Oxomensis, in Defensorio orationis Mexicæ de la Cerda habitæ Vallisoleti.

Contentiones & dissidia Ciuitatis Senarum ad annum 1530. circa celebrandam ab omnibus puram & immaculatam Conceptionem, fusiūs narrat oculatus testis, ipsius urbis ciuis, & incola Ambrofius Catharinus, in Epistola ad generale Capitulū Ordinis Prædicatorum, quæ habetur ad initium suorum librorum de Conceptione Virginis Mariæ. Nec pacati potuit Ciuitas, donec ab omni hominum genere unanimiter admissa est Conceptionis festivitas.

Sub §. 4. habebantur scandala Germanicæ, quæ partim refert Trithemius in Chronico Spanhemen, ad annum 1499. eiisque discipulus Paulus Langius in Chronico Citizeni, ad ann. 1509. quæ compulerunt Alexandrum VI. sum. Pont. vt ederet illam Constitutionem, illius quise, ad ann. 1502. quibus Sixtinis, additis pœnis, confirmabat.

Scandalum graue Heluetiorum sub §. 5. referebatur ex Laurentio Surio in Supplementum Chronici Hauel, & Nicolao Basilio in

354 TESTIMONIA SS. PATRVM, &c.
additione ad eundem sub anno 1509. ex
Paulo Langio citato, ex Ambrofio Cathari-
no lib. 3. disput. pro immaculata Concept.
§. 1. versic. Octauum testimonium; ex conti-
nuatione Chronicorum Palmerij ad citat-
um annum; ex Martino Delrio lib. 4. Ma-
gic. disquisit. quæst. 2. sect. 4. Recitaban-
tur multa & magna scandala Hispaniæ sub
§. 6. Primò, illa quæ euenerunt in ciuitate
& regno Valentiæ ad annum 1344. ex libro
Priuilegiorum eiusdem Regni sub Ioanne
1. Rege Aragonum. Deinde scandala re-
gni Aragonensis ad annum 1398. ex libro
viridi (ita cognominato) priuilegiorum
regalium; Comitatus Barcinonensis, sub
Martino primo Rege Aragoniæ, & ex lib.
litterarum regalium, qui seruatur in Regio
Archivio Regni Balearici, seu Maioricarum,
ad annum 1408. sub eodem Rege. Tertiò
scandala Comitatus Barcinonen. in villa
Podiceritaniæ, sub Alphonso 4. & Maria
Regina, ex regio Archivio Barcinonen. ad
annum 1435. & 1437. Item in vniuerso
principatu Cataloniæ ad annum 1451. sub
Ioanne Rege Nauarræ, Ferdinandi quinti
Regis Aragonum locum tenente, ex eodem
Archivio; & postea ad ann. 1461. sub eo-
dem Ioanne iam sui fratrī Ferdinandi in
regno successore, ex lib. 13. tropheorum
regni Aragonum, & ex Marineo Siculo lib.
12. rerum Hispanic. Neque ullus fuit ex his
Regibus, cui opus non esset grauissimis pœ-

nis & minis obuiare futuris grauioribus tumultibus, & omni solertia sopire quotidiè exorientes.

Quartò in regno Murciæ graue euenisse scandalum ad ann. 1507. probabatur ex originali processu, extracto ex quodam illius ciuitatis Mūrcianæ Archiuio. Quintò in regno Castellæ alia exorta fuisse circa ann. 1480. probatum est ex Petro de Montes, libro conscripto de hac re ad Reginam Elizabetham, Ferdinandi Catholici conformatem. Sextò in Prouincia Bætica multa fuisse etiam scandala circa annum 1503. docet Ludouicus de las Basas in tractatu de Conceptione, quem ad sedanda eadem scandala scripsit, & in Defensorio eiusdem Tractatus. Ultimò per varias Hispaniæ Prouincias suo etiam tempore viguisse scandala indicat Abulen. Parad. I. c. 21. addens probabiliter non posse omnino rescindi, nisi solo ultimo supremi iudicis interposito iudicio.

Sub §. 7. recensebantur fideliter & comprehendiosè recentiores Hispaniarum tumultus, ultra quam credi potest turbulenti & scandalosi, extracti ex authenticis processibus, qui ad Regem ex diuersis ciuitatibus sunt destinati, & à Rege ad ipsum Pontificem transmissi, in quibus tot & talia continentur, qualia sola sufficerent ad commouendam sanctam Sedem Apostolicam, ut quantumvis grauissimam, modò alienè non impediretur, controversiam diffiniret.

Sub §. 8. ex Actis quamplurimis, solentia ordine iuris obseruato coram Iudicibus & Notariis congestis, ostendebatur adhuc durasse hæc scandalum etiam post sanctiss. Dom. Pauli V. decretum, neque ullum superesse continui, & perpetui mali remedium, nisi definitionem. Quæ omnia ad longum ad manifestam rei evidentiam ex probatis Autoribus, notissimis Archivis, & authenticis scripturis transcripta sunt, ita ut plenè constiterit à trecētis annis semper scandalum durasse. Seriam autem horum scandalorum narrationem ad suas classes clarius & diffusius redactam, Pontifici oblatam, nunc prætermittere visum est, pacis & charitatis studio, sinceroque affectu erga contrariæ sententiæ defensores (quorum summa semper fuit apud Episcopum veneratio, & quos sæpius in suis ædibus visebat) ne quicquam in hac historia occurrat, quo iuste possint offendii. Omnino autem necessarium apparuit, saltem insinuare breuiter quanta fide & claritate perpetuitas hæc scandalorum est comprobata, & quām præ oculis Sanctissimi Domini positæ sunt res Hispaniæ, vt quantoperè Rex Catholicus pro suo munere, & debito ad obtinendam rei definitionem huc usque institerit, omnibus constaret.

Nec mirum videri debet populos iusto & sa n̄to zelo honors D. Virginis commoueri in affirmantes eam labe originali

conspurcatam etiam per vnum instans
temporis: cum nuperimè euulgatus in hac
ciuitate Tolos. Petri de Vincentia libellus,
contra immaculatā Deiparæ Virginis Con-
ceptionē , tacito Typographi & oppidi no-
mine, ita omnibus displicerit , vt censue-
rint nonnulli ex primoribus supremæ Cu-
riæ , Typographum flagellis per urbem cæ-
dendum , & librum ipsum manu tortoris
publicè comburendum : quod mouit To-
losanam Academiam ad Censuram hoc
qui sequitur modo proferendam.



CENS VRA S A C R A E FACULTATIS Theologiæ Academiæ Tolosanæ:

Ex D. Rectoris, totiusque Academiæ
assensu, aduersus Opusculum PETRI
DE VINCENTIA, contra
immaculatam Conceptionem Bea-
tæ Virginis editum.



OMINVS RAIMVNDVS
DE TAILLASSON,
Generalis studij Tolosani
Rector, in Conuentu Sancti
Augustini omnium Facultatum Pro-
fessoribus conuocatis, verba fecit;
paucis abhinc diebus euulgatum
fuisse per Ciuitatem, libellum quem-
dam, cui titulus, F. PETRI DE

V I N C E N T I A , &c. Opusculum
 de veritate Conceptionis Beatæ Virginis
 Mariæ , &c. Nulla appositâ alicuius
 Ordinarij Facultate , aut Doctorum
 approbatione : absque etiam Typo-
 graphi , lociue editionis nomine.
 Quare Sacræ Facultatis Theologiæ
 Professores, eo antea perlecto sæpius,
 & examinato, asseruerunt & ostende-
 runt, quamplura ex ibi citatis Sancto-
 rum Patrum testimonia, non fideliter
 relata , vtpote aut truncata , aut mu-
 tata , aut in alieno sensu adducta : ac
 sæpè hanc propositionem ex variis
 Autoribus ibidem citatis inculcaris:
Festum Conceptionis Beatæ Virginis non
ess. celebrandum , & talem celebrationem
esse prohibendam , quia concepta est in
peccato originali. Nec non sequentia
 verba haberi pagina sexagesima pri-
 ma, ex Ioanne de Poliaco: *Videtur mihi*
quòd non possit ab aliquo pro opinione
teneri , sed potius pro hæresi reputa-
ri , quòd Beata Virgo non contraxerit ori-
ginale peccatum , vel quòd fuerit ab origi-
nali peccato præseruata : quòd si aliquis
tantæ temeritatis esset , quòd præsumeret

afferere, Beatam Virginem non contraxisse orig' niale peccatum, certe contra talem tanquam contra hæreticum, non argumentis, sed aliter, videlicet cum igne esset procedendum. & pag. 83. ex Ioanne Dominico de Florentia: Beata Virgo fuit concepta in peccato originali, ut dicunt sancti & omnes Doctores: Dicere autem oppositum est hæreticum tum quia est sequi hæresim damnatam Pelagij, tum quia est fidei veritati contradicere, &c. QVIBVS expositis & matura deliberatione perpensis: annuentibus cæteris Academiæ Patribus, præfati Sacrae Theologiæ Professores libellum hunc recens excusum censuerunt omnino improbandum, sicut de facto improbarunt ac damnarunt, improbant & damnant, tanquam temerarium, scandalosum, & toti Ecclesiæ Catholicæ maximè iniuriosum: vt potè Decretis summorum Pontificum Sixti IV. in Extrauagantibus, Cùm præexcelsa, &, Graue nimis, De reliquiis & veneratione Sanctorum, Oecumenici Concilij Tridentini, sess. 5. de peccato originali: Pij quinti, Constitutione 114. in tomo

2. magni Bullarij: Pauli quinti, Constitutione 97. in tomo 3. eiusdem Bullarij: Gregorij XV. Constitutione vigesima nona, in eodem tomo, aperte & expresse oppositum. Statuitur enim illis locis festum Conceptionis Beatæ Virginis ab omnibus celebrandum, etiam sub nomine Conceptionis, illudque celebrantibus maximæ indulgentiæ conceduntur: & cauetur sub pœnis excommunicationis maioris latæ sententiæ, priuationis vocis actiuaæ & passiuaæ in quibuscumque electionibus, & inhabilitatis perpetuæ concionandi, legendi, docendi, seu interpretandi, ipso facto, & absque alia declaratione incurriendis, ipsique sanctæ Sedi Apostolicæ reseruatis, ne quis audeat libris conscriptis asserere, eos hæresis labi pollutos esse, aut peccare mortaliter, qui profitentur Diuam Virginem absque peccato originali fuisse conceptam, vel festum Conceptionis eius celebrant: aut tales libros editos apud se tenere pro veris, ut potè à Sede Apostolica reprobatos & damnatos, aut inter priuata

colloquia dicere eam peccatum origi-
nale contraxisse: prout fusiūs Lector
benevolis in locis citatis poterit vi-
dere. Decretum Tolosæ in Scholis di-
cti Conuentus sancti Augustini, die
nona mensis Augusti, hora quarta post
meridiem 1649.

De mandato Domini Rectoris,

ROVX, Secretarius & Bidellus.

FARAMOND, Secretarius & Bidellus.

FINIS.

I N D E X E O R V M , Q V A E
*hoc Syntagmate, pro afferenda B. Mariæ
Virginis immaculata Concep-
tione continentur.*

- | | | |
|-----------------|--|---------------|
| Cap. I. | D Ecretum summi Pon-
tificis Sixti IV. pro im-
maculata Conceptione
B. Virginis , | pag. 1 |
| Cap. II. | I dem in eadem materia , | 4 |
| | D ecretum Concilij Tridentini,
pro immaculata Conceptione
B. Virginis , | 9 |
| | D ecretum Pij V.de eadem re , | 10 |
| | I nno <u>uatio</u> Constitutionum à Six-
to IV.& Pio V.de Conceptio-
ne B. Mariæ Virginis editarum,
impositioque maiorum poena-
rum in transgressores à loco-
rum Ordinariis , & hæreticæ
prauitatis Inquisitoribus pu-
niendos, | 17 |
| | A mpliatio & declaratio prohibi-
tionis afferendi B. Mariam
Virginem conceptam fuisse in
peccato Originali , | 22 |
| | D eclaratio supradicti decreti , | 28 |
| Disput. | D isputationis pro veritate imma-
Catharini. culatæ Conceptionis Beatissi- | |

mæ Virginis , & eius celebra-
da a cunctis fidelibus celebri-
tate Præfatio, 33

Pars. I. Disputationis huius Reuerendi
P. F. Ambrosij Catharini, E-
piscopi Minoricensis, i. Pars, 43

Refellitur primus aduersariorum
zelus falsò existimatum , Ma-
trem ob id Christo æquari,
quod immunis ab originali
peccato afferatur , 63

Ostenditur falsus aduersariorum
zelus pro b. Virgine , 72

Refellitur zelus pro Scripturis,
quæ potius pro Virginis præ-
rogatiua faciunt , 76

Refellitur quartus contradicen-
tium zelus, pro sanctis Docto-
ribus , 111

Rationes aliquot cur Scholastico-
rum opiniones circa hanc ma-
teriam non sint sequendæ , 143

Discussio Epistolæ D. Bernardi
ad Canonicos Lugdunenses,
quæ iā nō fauet aduersariis , 169

Aliquot sanctorum Doctorum
sententiæ in fauorem immacu-
latæ Conceptionis Matris Dei,
186.

Refellitur postremus contradic-
tentium zelus pro Ecclesia
Dei , 194

Disput.	Pars II.	in qua ostenditur fideles teneri ad celebrandum diem festū immaculatæ Conceptionis, & Virginis sub ipsomet immaculatæ Conceptionis titulo, & iuxta sensum Pontificio decreto expressum,	203
	Ostenditur frustra à Spina publicatum fuisse librum Turrecrematæ, qui, ad veram illius Doctoris mentem, maximè prosternit aduersarios,	225	
Autorū series.	Autores sancti ex veteri lege pro Sacratiss. Virginis Mariæ immaculata Conceptione,	250	
§. I.			
§. II.	Autores in lege gratiæ pro immaculata Virginis Conceptione,	259	
§. III.	Concilia pro immunitate Conceptionis B. Virginis à peccato originali,	288	
§. IV.	Summi Pontifices stant pro immaculata Conceptione B. Virginis,	291	
§. V.	Vniuersitates omnes perpetuam Virginis innocentiam à primo instanti suæ Conceptionis constanter profitentur,	303	
§. VI.	Innumeri Autores graues pro certo habent D. Virginem à peccato originali fuisse præseruatam,	306	

- §. VII. Autores ex Ordine Fratrum sancti Benedicti , pro illibata B. Virginis Conceptione , 317
- §. VIII. Ex Ordine S. Brunonis, siue Carthusianorum , pro immaculata Conceptione Deiparæ Virginis , 319
- §. IX. Ex Ordine Fratrum S. bernardi Scriptores , pro immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ , 321
- §. X. Ex Ordine Fratrum Prædicatorum Scriptores, pro immaculata Conceptione , 323
- §. XI. Ex Ordine Fratrum Minorum, 326.
- §. XII. Ex Ordine Fratrum S. Mariæ de Monte Carmelo , 329
- §. XIII. Ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, 332
- §. XIV. Ex Ordine Fratrum sanctissimæ Trinitatis , redemptionis Captiuorum, 342
- §. XV. Ex Ordine Fratrum B. Mariæ de Mercede , redemptionis Captiuorum, 343
- §. XVI. Autores ex Religione Societatis IESV, in favorem illibatae Conceptionis B. Virginis , 344
- §. XVII. Omnes vbiique terrarum fideles Ecclesiastici , & Laici , cuiuscumque conditionis , & dig-

nitatis , paucissimis exceptis ,
purissimæ Marianæ Concep-
tioni , vnanimi consensu , sin-
gularique affectu deuotionem ,
obsequiūmque exhibitent , 350

Censura sacræ facultatis Theolo-
giæ , in Academia Tolosana ,
contra Opusculum F. Petri de
Vincentia .

358

F I N I S Indicis.



*Errata, quæ per Operarum incuriam,
Autoris absentiam irrepserunt, sic
corrige, bencuole Lector.*

PAG. 8. linea penult. 1493. *lege*, 1483.
pag. 33. lin. 2. *Tridentini*, *lege*, *Tridenti*,
p. 41. lin. 11. *Indulgentiam*, *lege*, *Indul-*
gentiarum.

p. 78. lin. 12. *grauas*, *lege*, *gratia*.

p. 86. lin. 15. *Gracos*, *lege*, *Græcos*.

pag. 92. lin. 29. *omnis*, *lege*, *omne*.

p. 293. lin. 18. *Alexander V.* *lege*, VI.

p. 302. lin. 24. *peruetusto* Autor relato,
lege, *peruetustus* Autor relatus.

pag. 304. lin. 7. *editis*, *lege*, *edictis*.

p. 305. lin. 11. *Oxonensis*, *lege*, *Oxomensis*.

p. 350. lin. 22. *tract. 1. 2. lege*, 12.

